Dupl. ob 5. f. 29. che è più
basso, ma ex Bibl. Coccini

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
36 F
34

3.4.57.

Sal. Sup. 3 - C - 16

.16.

Digitized by Google

Applic.° al Coll. Rom.°

Digitized by Google

Digitized by Google

*Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant.* Io. 6.

# FRAGMENTA CONSOLATIONVM PRO OMNI TRIBVLATIONE:

*Cum*

Tractatu de Cophinis Conſolationum:

*Et cum*

Practica vtendi huiuſmodi Conſolationibus:

*Ex Doctrina D. Auguſtini.*

AVCTORE

D. IOANNE A S. STEPHANO ET FALCIS


EX REGNO ARAGONIAE

Ordinis S. Hieronymi Hiſpaniarum, & Monaſterij S. Michaelis Regum Profeſſo, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Brunduſino, & Regio Conſiliario.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

ALEXANDRVM CAESARINVM

S. R. E. CARDINALEM.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Iacobum Maſcardum. MDCXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

*Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.*

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſg.

TRanſmittente Reuerendiſsimo Domino Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro, perlegi hunc librum, cui titulus eſt, *Fragmenta Conſolationum pro omni tribulatione*, in quo, atque in verſionibus nihil Fidei, nec bonis moribus contrarium reperi, dignumq. cenſeo vt typis mandetur. Romæ in ædibus Scholarum Piarum die 13. Nouembris 1629.

*Ioſephus à Matre Dei Miniſter Generalis.*

*Imprimatur.*

Fr. Hyacinthus Lupus Mag. & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apoſt. Mag. Ord. Prædicatorum.

Digitized by Google

ILL.MO AC REV.MO D. D.

# ALEXANDRO CAESARINO

S. R. E. CARDINALI COLENDISSIMO.

*REgibus, & Principibus munera offerri ſolita omnis gens, omnis lingua, omnis populus vbiq. ſemper obſeruare conſueuit, maximè verò in populo Dei, auctore Deo Opt. Max. Sic enim legimus 1. Regum* 1.Reg. c.10.
*c. 10. Quod cum conſtitueret Deus primum Regem Saul in populo ſuo, & abiret in domum ſuam, quorum tetigit Deus corda, abierunt cum eo,*

*& munera ei attulerunt. Prius ergo tetigit Deus corda eorum, & prius dedit hæc munera, quam illi, qui munera obtulerunt, ſicq. credere debemus accidere in his, quæ Principibus Eccleſiæ offeruntur; idemq. mihi contigiſſe fateor, in Dedicatione huius Munuſculi. Cordiale enim munus offero Dominationi Tuæ Illuſtriſsimæ, & in teſtimonium Grati cordis. Sub tanta enim protectione, quod ex me èſt in hoc opere humile, tua magnanimitate eleuabitur, & à Deo in corde tactum munus eſtimabitur dignum, defectusq. non apparebunt, nec offendent, Solis radijs tuæ protectionis icti. Conſolationes enim huius operis Gemmis ſacræ Scripturæ ornatæ Iuſto titulo, & merito Dominationi Tuæ*

Illu-

*Illuſtriſsimæ debent dedicari, tanquam Protectori afflictorum, Conſolatori tribulatorum, & refugio omnium, qui ad tuam benignitatem accedunt. Prodit ergo in lucem hoc Opus ſub luce tuarum virtutum pro conſolatione omnium fidelium, pro animarum ſalute, & pro Eccleſiæ Catholicæ ædificatione, ad Dei laudem, & gloriam, cuius eſt omnis laus, & gloria. Vale.*

Illuſtr.$^{mo}$ ac Reuer.$^{mo}$ Domino meo

# D. ALEXANDRO CAESARINO

## Tit. S. Mariæ in Dominica Diacono Cardinali.

*DEDICATORIUM EPIGRAMMA.*

*GRati animi pignus titulis Tibi mille dicatum*
*Ecce Tuo fultum Nomine prodit opus.*
*Illud vt interni clarius ſit pectoris index,*
*Non Tibi quod dignum Te rear eſſe dico;*
*Si donum ſpectes, minimum eſt, non æqua volūtas*
*Qua fertur, meritis tot bene culta tuis;*
*Affectus reſpectat amor, non aurea dona:*
*Dant animis dubiam munera ſæpe fidem;*
*Ergo fronte precor capias fragmenta lubenti*
*Hæc mea, ferre audet donula gratus amor.*

FRAN-

# FRANCISCI ANTONII GLIANES BRVNDVSINI

Sacræ Theologiæ Doctoris

## *EXASTICHON*

Ad Fragmenta Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. IO. A S. STEPHANO, ET FALCES ARCHIEPISCOPI BRVNDVSINI.

*QViſquè per Aerumnas infauſtis naui-*
*gat Aſtris,*
*Sat tutum è paruo ſydere diſcat*
*iter.*
*Si Curæ, aut animo hæret inextricabilis error,*
*Hoc Docti Theſei fila parabit opus.*
*Si mens Curarum nigris infecta tenebris*
*Torpet, præſentis lumina Solis habet.*

# AD LECTOREM

## EPIGRAMMA.

C Ortice ſub primo fragmenta miniſtrat amara
Præſens Lector opus, ſunt tamen illa ſaui,
Fel ſimul, & nectar ſapiunt, & munus vtrumq.
Idem vnuſq. tibi fertq. refertq. cibus
Nec mirere: roſa ex tribulis, lux clara tenebris
Naſcitur, & duris vtilis herba rubis.
Si tibi prima minus, facient ſatis vltima, dulcis
Poſt acidam ſemper gratior eſca fuit.



Digitized by Google

Ad Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

# IOAN. DE FALCIS

## PRAESVLEM

## BRVNDVSII.

### *EPIGRAMMA DOCTORIS*

### *DON DARII COSTA.*

*Arma, virumq. canant alij, Illuſtriſſime Præſul,*
*Et cantent alij paſcua rura Duces.*
*Tu merito Diua vitam, & fragmenta recondis,*
*Maior ab exequijs gloria parta venit.*
*O inſigne opus, & periiturum tempore nullo,*
*Aeternos dabitur viuere poſſe dies.*
*Laudibus ergo tuis melius deſiſtere. Abunde*
*Laudatur, cui laus nulla ſat eſſe poteſt.*

# AD LECTOREM.

AMice Lector, quod in hoc Libro continetur, omnibus commune eſt & neceſſarium, & cuiq. vtile, ac delectabile. Verba enim conſolationis ſunt, & flores ſacræ Scripturæ. Vt prudens Apis ſi eris, dulcedinem conſolationis accipies; ſi vero proprij defectus offendunt, correctione Catholica Chriſtianè tege, ſub correctione enim Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ omnia ſubijcio. Vale.

TRA-

# TRACTATVS PRIMVS DE COPHINIS FRAGMENTORVM CONSOLATIONVM.

## *CAP. I. De diuerſis Speciebus Tribulationum.*

D. *Aug. ſuper Pſal.* 45. notat *Pſal.* 45.
diuerſas ſpecies Tribulatio- *D. Aug.*
num in hac Vita, alias in re
familiari, alias in ſalute cor-
poris, alias in varijs multisq.
periculis charorum, vel aliarum rerum, ſed
nulla maior tribulatio, quam conſcientia
delictorum, quia ibi Deus non eſt. Quo er-
go confugiet homo? ibi tumultus, ibi fu-
mus, ibi flamma iniquitatis eſt, pellitur à ſe
ipſo, hoſtem inuenit quo confugit, ſe ipſum,
quo fugiturus eſt? quocunque fugerit, ſe ta-
lem trahit poſt ſe, & quocunque talem tra-
xerit ſe, cruciat ſe; ſed à ſe ipſo ſunt tribu-
lationes, quæ inueniunt hominem nimis, &
tanto tunc acerbiores, quanto interiores;
inue-

Digitized by Google

inueninntur autem hæ tribulationes à prædicatoribus cum reprehendunt peccata, & manifeſtantur conſcientię peccatorum. Sic
*Act.* 2. contigit *Act.* 2. cum prædicaret *Diuus Petrus*: Agite pęnitentiam, & baptizetur vnuſquiſq. veſtrum. *D. Aug.* Bibite ſanguinem
*D. Aug.* quem fudiſtis.

Quando autem quis conſiderat peccatum ſuum, cum Dauide, & dicit. Peccatum
*Pſal.* 50. meum contra me eſt ſemper, inuenit ipſe peccatum ſuum, & tribulationem ſuam ſine alterius admonitione, & dicit: Tribulatio-
*Pſ.* 114. nem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocabo.

Addit *D. Aug.* quod ſunt inueniendæ à
*D. Aug.* nobis tribulationes, antequam nos inueniāt, per conſiderationem, & præparationem animi, ad eas fortiter ſuſtinendas, & tribulationes animæ reijciendas, ſicut Dauid *Pſal.*
*Pſal.* 16. 16. Paratum cor meum, paratum cor meum Deus, cantabo, & pſallam. Inimicus parat foueam ad decipiendum, ego cor ad perpetiendum, ille foueam ad opprimendum, ego cor parabo ad tolerandum, ille incidet in foueam quam fecit, ego autem cantabo, & pſallam: Adde iterum inueniēdas eſſe tribulationes Chriſti, paſſionis eius, & ſtigmatum

tum cum doloribus, vt quæ nos patimur ad eius imitationem parua videantur, & cum Paulo 2. *Corin.* 5. dicamus: ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra, & 1. *Pet.* 4. Chriſto paſſo in carne, eadem cogitatione armamini, & ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *2. Cor. 5* *1. Pet. 4* *Pſal 93.*

## *CAP. II. De his quibus conuenit tribulari.*

Regulam generalẽ ſtatuit *D. Paulus* de ijs quibus conuenit tribulari dicens: Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutiones patientur. Quæ verba ſic explicantur a *D. Tho.* Primo, patiũtur perſecutiones ad extra, & ab ijs, qui odio habent veritatem, vt ſunt hæretici. Secundo, ab ijs, qui odio habent virtutem, vt peccatores obſtinati. Tertio, à mundo per eos, qui mundani ſunt, ſequentes vanitatem rerum temporaliũ. Quarto, à carne per motus inordinatos concupiſcentiæ, de quibus Paulus; Sentio aliam legem in membris meis. Quinto, à diabolo: Qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. *2. tim. 3.* *D. Tho* *Rom. 7.* *1. Pet. 5.*

Se-

Secundus modus perſecutionis, & tribu-
S. *Tho.* lationis eſt ab intra, ait *S. Tho.* per compaſ-
ſionem proximorum, quorum culpæ, pœnæ,
1. *Pet.* 2. & tribulationes ſunt eis. Sic docet *D. Pet.* 1.
*c.* 2. habitans Loth apud eos (ideſt ſodomi-
2. *Cor.* 11. tas) qui de die in diem animam Iuſti iniquis
operibus cruciabant, & *D. Paulus*: Quis ſcan-
dalizatur, & ego non vror? & de his verifi-
*Pſal.* 35. cantur Verba *Pſalmi* 35. Multæ tribulatio-
nes Iuſtorum; & docet *S. Thom.* ſuper ad
*Heb.* 10. *D. Tho.* *Hebræos c.* 10. quod non oportet ſemper
Sãctos habere tribulationes exteriores, quia
ſemper intus affliguntur in conuerſatione
*D. Aug.* malorum. Addit *D. Aug.* quod qui non ha-
bet tribulationes, non dum incepit eſſe
Chriſtianus, quod probat ex Verbis citatis
Pauli: Omnes qui piè volunt viuere cum
Chriſto, &c. ſi in vite es oportet vt tribu-
lationes exprimant vinum lętificans cor Ec-
clefiæ Catholicæ.

## *CAP. III. De moderatione Tribulationum.*

MAgnus Dominus, & laudabilis eſt,
*Pſal.* 47. in moderatione tribulationum, de
1. *Cor.* 10. qua *D. Pau.* 1. *Cor.* 10. fidelis Deus, qui non
patitur

patitur tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vel exitum *D. Tho.* Oſtendit Deus fidelitatem ſuam in eò quod promiſſa adimplet, dat gratiam vt mereamur, conſtantiam in perſeuerando, potentiam in vincendo, moderatur Diaboli poteſtas; licentiam taxatam, & limitatam ei concedit vt teſtantur ſacræ Scripturæ in tentationibus Iob, & ſic operatur in omnibus tentationibus fidelium. *D. Aug.* Qui dat Diabolo tentandi licentiam, dat tentatis miſericordiam; nouit Deus vires naturales, conditiones, diſpoſitiones, & quidquid ſit in homine, etiam cordis interiora ſcrutatur, & moderat omnes tribulationes cum miſericordia paterna, & materna etiam; quia & ſi mater obliuiſcatur, nō ſic Deus qui ſemper tuetur, & intuetur ſalutem noſtram: Hoc experti ſunt omnes Patriarchæ Sancti, & Iuſti, & Martyres, & Cōfeſſores, & vnuſquiſq. Fidelium in vita ſua experietur quotidie.

*D. Tho.*

*Iob.*

*D. Aug.*

## *CAP. IV. De auxilijs in Tribulationibus.*

POſtulauit hoc Dauid *Pſalm.* 59. Da nobis Domine auxilium de tribulatione, *Pſal.* 59.

& red-

& reddit rationem quia vana ſalus hominis; & hanc etiam rationem aſſignat non eſſe confugiendum ad Principes in tribulationibus, quia non eſt in eis ſalus, intelligens per ſalutem omne verum refugium, & adiutorium, Deus ergo eſt qui dat, cum ſit omnipotens, & miſericors, & miſerator, & dat miſericorditer, præſtatque auxilium de tribulatione; Hoc docet Dauid in
*Pſ.* 45. *Pſalm.* 45. Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus quę inuenerunt
*D. Aug.* nos nimis. *D. Aug.* ſic explicat; Deus eſt, & miſericors per humanitatis ſuſceptionem, & mitis ac humilis, virtus eſt omni credenti in
*Rom.* 1. ſalutem. Virtus eſt potens nos eripere ab omni aduerſitate, & qui vult omnes ſaluos fieri, omnibus ſe offert, & participes ſint ſuæ virtutis, & gratiæ: Ideo ad Chriſtum confugiendum eſt in omni tribulatione, quia ſolus omnia poteſt, & omni tempore paratus eſt præſtare auxilium, imo pulſat ad oſtium
*Apoc.* 3. cordis; vt conuiuium cœnæ paret, & præſtet cum ſua Regali, & diuina præſentia; intrabo, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum.

Auxilia vero quæ dat Deus ex tribulatio-
*Pſ.* 59. ne manifeſtantur *Pſalm.* 59. Primum eſt in Deo faciemus Virtutem, quia ibi eſt virtus, ibi

ibi poteſtas, ibi miſericordia; in Deo fecit virtutem Suſanna, in Deo Ioſeph poſuit virtutem, & Dauid,& Sampſon,& omnes martyres, qui omnes victores in hac virtute fuerunt.

Secundum, & ipſe ad nihilium deducit inimicos noſtros, quia ipſe eſt nobiſcum in tribulatione. *Pſ. 90.*

## *CAP. V. De peccatis temerariè iudicantium in tribulatione.*

SEntentiam protulit Chriſtus Dominus de his *Matth* 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Pro cuius intelligentia, & explicatione dicit *S. Tho. ſuper c. 2. ad Rom.* quod triplex eſt iuditium: Primum iuditium iuſtum ſecundum regulam Iuſtitiæ, de quo *Sap.* 1. Diligite Iuſtitiam, qui iudicatis terram. Secundum iuditium eſt non iuſtum cũ fit contra regulam Iuſtitiæ, de quo *Sap. 6.* Cum eſſetis miniſtri Regni eius nõ rectè iudicaſtis. Tertium eſt iuditium temerarium, de quo *Sap.* 5. Ne temere quid loquaris, & hoc fit dupliciter. primo cum quis procedit contra id quod eſt ſibi commiſſum, abſque debita veritatis cognitione, conrra id quod

*Mat. 7.* *D. Tho. ſuper c. 2. ad Rom.* *Sap. 1.* *Sap. 6.* *Sap. 5.*

*Iob.* 29. dicit *Iob.* Omnem cauſam, quam ignorabam diligenter inueſtigabam: Secundo cum vſurpat ſibi iuditium de occultis, de quibus ſolus Deus iudicat, vt 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus iudicare. Dicitur autem occultum quod ſecundum ſui natura ad ſolam Dei cognitionem pertinet; Primo cogitationes cordis, de quo *Hierc.* 17. Ego Dominus ſcrutans corda, & renes Deus. Secundo contingens futurum, de quo *Iſai.* 52. Annunciate quæ ventura ſunt nobis, & dicemus quod Dij eſtis vos, & *D. Aug.* in ſermone Domini in mõte ſic docet: duo ſunt in quibus iuditiũ temere fit, qualis quid futurus ſit, vel cũ incertũ eſt, qua intẽtione aliquid fecerit: & de his eſt ſentẽtia intelligenda; Addit *D. Aug.* *ſuper Pſalm.* 108. Pro eo vt me diligerent detrahebãt mihi; non dicit, pro eo vt me diligerent occiderunt me, quia maius peccatum commiſerunt, dum temerarie iudicabant de verbis, & operibus Chriſti dicentes: Blaſphemat, in Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia, & quid eum auditis? Quam cum eum crucifixerunt, & reddit rationẽ *D. Aug.* quia in his auertebant proximos ne crederent, & animas eorum interficiebant, quorum ſalutem Chriſtus quærebat. Videant

*1. Cor. 4.* *Hierc, 17,* *Iſai. 52.* *D. Aug.* *D. Aug. ſup. pſ. 108.* *Luc. 15.* *D. Aug.*

ergo

ergo qui temerarie iudicant Paſtores Eccleſiæ Catholicæ, cum ſcandalo proximorum auertentes oues ab obedientia, & profectu virtutum: Quam graue peccatum committunt.

Et *D. Greg. Mag. Iob.* 42. Super verba: iratus eſt furor meus contra te, & duos amicos tuos, qui non recti locuti eſtis, ſicut ſeruus meus Iob, comparat peccatum horum temere iudicantium de tribulatione Iob, peccatis hæreticorum, quia dum intendunt Deum defendere, veritati rebelles ſũt, cui famulari in falſitate exiſtimant, & quam difficilis ſit conuerſio talium, ex oblatione colligit *D.Greg.* quæ eis præcepta fuit. *D. Greg. 1. ſuper Iob 42.*

## *CAP. VI. De Præmijs tribulationum.*

ANtiquiſſima eſt doctrina diuina reuelata de præmio eorum qui tribulationes patiuntur, & hanc manifeſtè docuit, & promiſit Deus Abrahæ, qui eductus de Vr Chaldæorũ patria ſua, per varias tribulationes, variaſque tentationes, & labores ac afflictiones continuas, eum per terram alienigenarum pertranſire fecit, & tentatum per omnia, fideliſſimum eum inueniẽs. *Gen. 15.*

Theſaurum præmij omnium ſuarum tribu-
*Gen.15.* lationum ei aperuit dicens: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Primum ergo præmium tribulatorum eſt habere protectorem Deum, ſic fuit cum Abraham, cum incideret propter Saram vxorem ſuam in varias tribulationes coram Regibus, ſic eum protexit, vt illæſam vxorem ſeruaret, & illum honore, & diuitijs ditaret, protexit eum in peregrinatione ne ei nocerent, imo benigne acciperent: Protexit in bello cùm Victor euadens, Loth liberauit, & vbique & ſemper protector eius fuit, & eſt omnium qui pro eo tribulantur: Aliud maius præmium promiſit ei cum dixit: Et merces tua magna nimis, ſic eſt quia ipſe eſt præmium magnum, æternum, infinitum, & immenſum hoc eſt nimis, & confirmat hoc
*Gen.15.* *Sap.* Apud Dominum eſt merces eorum, id eſt ipſe Dominus eſt merces eorum. Qui laborant, & tribulantur pro Deo, & expli-
*Sap.5.* cans *Sap.* hoc præmium, addit, & accipient Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet eos, quando pro eo tribulationes patiuntur: Vocat præmium Regnum decoris, quia eſt regnum Iuſto-

rum,

rum, & Sanctorum gratiæ decoris illuſtratum; diadema ſpeciei quia coronantur Corona Regia, & ſpecioſiſſimos eos facit in præmio ſanctitatis, & quia de manu Domini accipiunt tantum præmium, honorem indicat ſupremum; Addit protectionem dexteræ, vt omnia in bonum eis cedant, & fortitudinem brachij ſui, id eſt Chriſti Domini, vt defendat eos, & Victores efficiat; & licet multa præmia promittat Deus tribulatis & in hac vita præſtet, merces veſtra ait Chriſtus, multa eſt in cælo, vere multa, & magna & copioſa, & infinita, & hanc vocat *D. Ioan. epiſt.* 2. mercedem plenam, quia habet omnium bonorum plenitudinem in ſuo fonte, & de hoc præmio dicit *D. Paul.* id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Matt. 5.* *Io. ep. 2.* *2. Cor. 4*

*D. Thom.* Sic explicat: in præſenti vita quæ plena afflictionibus & ærumnis eſt, vt teſtatur *Iob c.* 17. Vocat momentaneum, quia totum tempus huius vitæ comparatum ad æternitatem eſt momentum, dicitur leue propter amorem, ſecundum *D. Aug.* dicit tribulationis quia pænalis eſt: ei quod eſt in *D. Tho.* *Iob 17.* *D. Aug.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

præſenti contraponit in ſublimitate id eſt in ſtatu ſublimi, momentaneum contraponit æterno. Leui opponit pondus, quia pondus inclinat, & trahit ad motum ſuum quæ ſubſunt ſibi, & ſic gloria æterna eſt tanta, quod totum hominem facit glorioſum, tam in anima quam in corpore; dicitur eſſe pondus propter prætioſitatem, nam prætioſa ponderari conſueuerunt, quod dicitur gloriæ contraponit tribulationi. Eſt ergo Sanctorum patientia inuincibilis, eorum remuneratio ineffabilis, & remunerationis eorum recompenſatio plena, & delectabilis.

Quis ergo audeat conqueri in tribulationibus à Deo miſſis, cum ipſe ſit præmium tam immenſum, & æternum; imo deſiderare debemus pro Deo ſemper pati; vt tali præmio digni hic in ſpe, & ibi in re, & in gloria ſimus beati.

TRA-

# TRACTATVS SECVNDVS
# DE CONSOLATIONIBVS Chriſti Domini.

## *CAP. I. De Prima conſolatione.*

SICVT anulus eſt ſignum deſponſationis, ſic tribulationes, & dolores, & perſecutiones ſunt ſigna certiſſima electionis diuinæ, & deſponſant anima cum Deo, & ſecurè dicere poteſt qui eas patitur, anulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus.

Tulit Pharao anulum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſeph, prius dedit illi Deus anulum tribulationum, perſecutionum, tentationis, carceris, & teſtimonij falſi, quo deſponſata fuit anima ſua Deo, & meruit Principatum, in cuius teſtimonium dedit ei Pharao anulum deſpõſationis, &c. tribulationes ſigna ſũt certiſſimæ electionis diuinæ, & deſponſationis animæ cum Deo. *Gen.41.*

Hoc idem confirmat Dauid dicens: Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui *Pſal.75.*



Digitized by Google

oderunt me, & confundantur, ſignum fidei, vt reſiſtat fortiter tribulationibus, ſignum
*D. Aug.* Reſurrectionis ait *D. Aug.* quia tribulatio eſt ſignum omnis boni, & omnis conſolationis, in ſignum vtriuſq. dedit pater filio prodigo
*Luc. 15.* anulum, vt eſſet patiens in tribulationibus, & Deo deſponſaretur per fidem viuam, qui antea mortuus fuerat & reſurrexit in nouitate vitæ ad ferendas omnes tribulationes.

## *CAP. II. De Secunda conſolatione.*

GRatiarum actio in aduerſis meretur coronam prætioſam, & glorioſam ſuper aurum, & topazion, & poteſt dicere qui ſic patitur; tamquam ſponſam decorauit me corona.

*Iſai. 62.* De hac corona dicit *Iſai.* Et erit corona gloriæ in manu Domini; cum coronam dicit, labores & tribulationes ſupponit, quibus meretur, & gratiarum actio pro eiſdem cum dicit gloriæ, prætioſam ſuper aurum,
*Pſ. 118.* & topazion denotat, cum autem in manu Domini ponit, ab eo emanare tribulationes, & dari coronam docet.

*Pſ. 102.* Et de hac corona loquitur Dauid cum ait: Qui coronat te in miſericordia, & miſeratio-

rationibus, & *D. Aug.* Corona hæc eſt miſericordiæ, quia gratia Dei præcedit, & Iuſtitiæ cum vincimus in tribulationibus, & tam prætioſa eſt hæc corona, vt excedat aurum, ideſt ſapientiam, & omnes virtutes, ideo etiam ſuper topazion, & vocatur corona gloriæ æternæ. *D. Aug.*

## *CAP. III. De Tertia conſolatione.*

QVanto quis, ab humano fauore eſt derelictus à Deo in tribulatione, tanto prætioſius oculis miſericordiæ aſpicitur à Deo.

Et hoc confirmat *Sap.* dicens: & cognoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt, quam timor Dei, & nihil dulcius quam reſpicere in mandata Dei: Vtrumque fit in tribulationibus, & timor Dei habetur, & oculi in Dei mandata ponuntur, & ideo oculos miſericordiæ Dei in nos propitios habemus. *Eccl.23.*

Et Dauid docet hanc veritatem cum ait, Secũdum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me, quia ſuauis eſt miſericordia tua. *D. Aug.* Præceſſit tribulatio, & derelictio, ſequatur miſericordia, multæ tribula- *Pſ.105.* *D. Aug.*

bulationes, multæ miſericordiæ, ab omnibus derelictus à te ſuſcipiatur, quia ſuauis eſt miſericordia tua Domine.

## *CAP. IV. De Quarta conſolatione.*

TRibulationes, & dolores patientis ſunt ornamenta in pectore Chriſti Domini noſtri, & tanto magis ſplendent, quanto magis creſcunt dolores, & tribulationes. *Iſaias* docet hoc his verbis: Omnibus his velut ornamento veſtieris, & loquitur de gentibus conuerſis ad fidem, ſub magnis, & diuerſis tribulationibus.

*Iſai. 49.*

*Pſ. 92.* Et Dauid confirmat hoc idem his verbis: Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, *D. Aug.* Decorus es cum places Deo, fortis es cum es humilis, vtrumque datur in tribulatione, & in corpore Chriſti Domini, tanto ornamento veſtitus es, tanto æſtimat tribulationes tuas.

*D. Aug.*

## *CAP. V. De Quinta conſolatione.*

TRibulationes, & dolores ſunt Balneũ ſalutis animæ, & corporis. Hoc voluit

luit *Iſaias* cum dixit : Lauamini, mundi *Iſai.1.*
eſtote, hi ſunt duo effectus tribulationum, in his enim erat populus Dei,& ad hos miſſæ fuerunt tribulationes, vt lauarentur, & mundarentur in hoc balneo.

De hoc balneo loquebatur Dauid cum *Pſ.50.*
dixit : Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor, expertus fuit Dauid balneum tribulationum, & perſecutionum à ſuo filio Abſalon, & à Semei illatarum, quibus dealbatus & purus ſecundum niuem placuit Deo, & idem facit Deus cum ſeruis in Balneo tribulationum; ſic enim mundantur, & dealbantur vt Deo placeant.

## *CAP. VI. De Sexta conſolatione.*

TRibulationes, & dolores æſtimantur à Chriſto Domino diuitiæ ſuæ, & noſtræ.

Sic æſtimauit Moyſes, vt ait B. Paulus : *Heb.11.*
Maiores æſtimans diuitias, improperium Chriſti, theſauro Aegyptiorum. Et Chri- *Io. 18.*
ſtus Dominus vocauit calicem ſalutarem & theſaurum cæleſtem omnes labores, & ſuos & noſtros dicens : Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?

Hoc

*Pſ. 118.* Hoc idem docet Dauid cum ait: In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs, *D. Aug.* *D. Aug.* hæc via Chriſtus eſt, & ad imitationem Chriſti tribulationes pati, ſunt vere diuitiæ Chriſti, & noſtræ, quæ vere diuites nos faciunt.

## *CAP. VII. De Septima conſolatione.*

TRibulationes, & dolores ſunt in nobis cuſtodes humilitatis.

Super te Hieruſalem conſtitui cuſtodes *Iſai. 61.* ait *Iſai.* cum ſuper te mitto tribulationes, & afflictiones, tunc mitto, & conſtituo cuſtodes tuæ humilitatis, & idem facit cum tribulatis omnibus.

*Pſ. 120.* Et *Dauid*: Neque dormiet, neque dor- *D. Aug.* mitabit qui cuſtodit Iſrael. *D. Aug.* hoc præſtat Chriſtus in tribulationibus, non dormit ſed vigilat vt cuſtodiat quod illi magis placet quod eſt humilitas.

## *CAP. VIII. De Octaua conſolatione.*

TRibulationes, & perſecutiones non nocent, ſed relinquunt ſignum, vt cum Arbor percutitur cultello ligneo.

Non

Non nocuerunt mihi,quia coram eo iniuſtitia inuenta non eſt in me dixit *Daniel*: Leones erant, fame tabeſcebant, ſed mihi non nocuerunt,ſignum reliquerunt,ſed non nocuerunt: ſic contigit tribulatis Iuſtis, nocere non poſſunt tribulationes, ſignum tamen relinquere poſſunt quod fuit tribulatus. *Dan. 6.*

Et Dauid confirmat hoc cum ait: Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt. *D. Aug.* Cupiditas nocendi à Diabolo eſt,poteſtas à Deo, ſed ſic permittit vt non noceat, imo proſint tribulationes, & ſignum tantum relinquunt. *Pſ. 32.* *D. Aug.*

## *CAP. IX. De Nona conſolatione.*

IN tribulationibus ſeruimus Deo expenſis proprijs.

In magna illa tribulatione populi Iſrael, prudentiſſima *Iudith* prouiſit ad liberandum populum, & ſeipſam; & cum inuitaretur ab Holoferne, vt de conuiuio darentur illi omnia quæ voluiſſet, dixit illa: Non potero manducare de his quæ mihi præcipis; manducabo enim meis expenſis de his quæ *Iudith. 10. 12.*

detuli mihi: impoſuit enim Abræ ſuæ aſcopetam vini, vas olei, polentam, & palathas, & panes, & caſeum, vt denotaret in tribulationibus expenſis proprijs ſeruiendum eſſe Deo.

*Pſ. 20.* Hoc etiam docet Dauid cum ait: Tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis, videtur prodigium deſeruire in bello expenſis proprijs, ſed maius eſt in tribulatione ſeruire Deo expenſis proprijs; præſtatur enim illi obſequium, ſed Deus adiutor & fortis; quia non derelinquit laborantes, ſed præſtat eis fortitudinem, & perſeuerantiam. Tale prodigium fuit Iob; qui deſeruiens Deo cum his quæ ab eo accepit cum ei ablata fuerunt, & in tot tribulationibus laboraret, ſeruiens Deo expenſis proprijs, maius ſacrificium obtulit, cum de ſe in ſuis tribulationibus ſacrificium holocauſti fecit, prodigium viſum eſt amicis ſuis, & multis apparet prodigium ſeruire Deo in tribulationibus, ſed habemus Deum adiutorem fortem, cui nemo reſiſtere poteſt, & omnia vincit.

## *CAP. X. De Decima conſolatione.*

TRibulatio in aduerſis introducit animam in ſecreto ſponſi Chriſti, & traditur voluntati Chriſti.

*Cant.* 1. Introduxit me Rex in cellam ſuam, recti diligunt te, cum vuluntari Dei trahuntur, & ſecreta ſponſi aſpiciunt in tribulationibus. *Cant.* 1.

Et Dauid *Pſal.* 29. Vita in voluntate eius. *D. Aug.* Non in viribus noſtris, non in meritis noſtris, ſed quia voluit ſaluos nos fecit, non quia dignos inuenit, & ſi impijs miſericordiam promittit, quid ſeruat fidelibus, maxime qui pro eo tribulantur? *Pſ.* 29. *D. Aug.*

## *CAP. XI. De Vndecima conſolatione.*

IN tribulatione datur tribulato cor Chriſti Domini.

*Baruch.* 2. Et dabo eis cor, & intelligēt, & aure audient; hoc efficit cor Chriſti in tribulatis, dat enim eis intelligentiam, & obedientiam; ideo ſtat, & pulſat ad cor tribulati, vt cor eius ingrediatur, & tribuat ei intellectum, quo cibat animam eius, & ipſe *Baruc.* 2. *Apoc.* 3.

dedit

dedit ei cibum, quo cibatur Chriſtus.

*Pſ.72.* *Pſal.*72. Deus cordis mei, & pars mea
*D.Aug.* Deus in æternum, *D. Aug.* Magna felicitas, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum. Qui aliud præmium petit à Deo carius facit quod vult accipere, quam ipſum à quo vult accipere. Quid ergo nullum præmium? nullum præter ipſum, Præmium Dei, ipſe Deus eſt, & Deus cordis mei.

## *CAP. XII. De Duodecima conſolatione.*

TRibulationes ſunt canales aurei gratiæ, & auxiliorum Chriſti.

*Iſai.44.* Dicit *Iſai.*44. Ab vtero auxiliator tuus, noli timere ſerue meus Iacob, quia ſicut tribulationes Iacob canales aurei fuerunt auxiliorum diuinorum, in perſecutione Eſau, in tribulatione Laban, & fuga, ſic ſemper idem eſt, cum tribulatis ſuis.

*Pſ.19.* Et Dauid *Pſal.*19. Da nobis auxilium
*D.Aug.* de tribulatione. *D. Aug.* Inde da auxilium, vnde putabaris deſerere, inde ſubueni, de tribulatione dat auxilium.

*Cap.*

## *CAP. XIII. De Decimatertia conſolat.*

TRibulationes ſunt crux Chriſti, cum per eas ſequ mur Chriſtum.

*Mat. 6.* Qui vult venire poſt me, tol- *Matt. 16.*
lat crucem ſuam, & ſequatur me, eiuſque tribulatio crux ſua eſt, data à Deo, ordinata à Deo, pro ſalute animæ, tollit hanc crucem, quando voluntarie eam ſuſtinet, ſequitur Chriſtum, cum pro eius amore, & imitatione patienter ſuffert.

Et Dauid *Pſal. 53.* Voluntarie ſacrifi- *Pſal. 53.*
cabo tibi. *D. Aug.* Voluntarie, id eſt gra- *D. Aug.*
tis, ipſum gratis dilige, quia melius ab eo non inuenies, quod det quam ſeipſum, ſacrificabo, non iam carnales hoſtias, & figurales; ſed corpus Chriſti proprium per tribulationes ad Chriſti imitationem, corpus autem adaptaſti mihi, vt per paſſionem, & crucem redemptionem faceret copioſam, ſic ſequuti ſunt Chriſtum omnes Martyres, & Sancti Confeſſores: Quia ſic oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuã, *Lucæ 24.*
oportet, & filios per multas tribulationes intrare in gloriam Chriſti, hæc eſt via arcta quæ ducit ad regnum.

## *CAP. XIV. De Decimaquarta conſolat.*

TRibulationes oculos miſericordiæ Chriſti ad nos conuertunt.

*Eccl.* 11. *Eccl.* 11. Oculi Dei reſpiciunt illum in bonum,& exaltauit caput eius, hoc præſtat Chriſtus imitatoribus ſuis in laboribus reſpiciens oculis mirericordiæ ſuæ eos in bo-
*Rom.* 8. num;quia omnia cooperantur eis in bonum, & exaltat caput eorum in victoria,& gloria.
*Pſal.* 31. Et Dauid *Pſal.* 31. Firmabo ſuper te
*D. Aug.* oculos meos. *D. Aug.* Protectionem ſuam promittit, & exhibet firmam, nolite timere confidite, ommem veſtram ſolicitudinem
1. *Pet.* 5. in eum proijcite, oculi eius, oculi ſunt miſericordiæ, potentiſſimi auxiliatores, & efficaciæ diuinæ; fauorem, & honorem, imo
*Pſ.* 90. & præſentiam Chriſti exhibent; Quia cum ipſo ſum in tribulatione.

## *CAP. XV. De Decimaquinta conſolat.*

TRibulationes auferunt deſiderium mali, & eorum quæ ad malum inducunt.

1. *Pet.* 1. *Pet.* 4. Chriſto paſſo in carne, eadem cogi-

cogitatione armamini, vt iam non deſiderijs hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne, viuat temporis. Potentiſſimæ armæ ſunt cogitare in tribulationibus paſſiones Chriſti, & imitationem eius, quæ auferunt deſideria vana hominum, & voluntatem propriam, Dei voluntati ſubijciunt.

Et Dauid *Pſalm.* 124. Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori. *D. Aug.* Illud ora quantum potes; vt deſiderio tuo non tradat te Deus peccatori, quia tu deſiderio tuo locum facis Diabolo, firma deſiderium, & nō cades in laqueum, deſiderium æſtus facit, vmbraculum autem Tribulationis a Deo, temperat deſiderium vt poſſimus refrenare quo reprobamur, vt non ita æſtuemus, & ad laqueum perducamur. *Pſ.* 124. D. *Aug.*

*CAP. XVI. De XVI. conſolatione.*

TRibulationes faciunt hominem capacem, vt Deus habitet in eo.

*Ezech.* 2. Et habitabo in medio tui, verè hoc dicit cum dignum facit fidelem, vt tribulationes patiatur pro eo, quia in centro cordis habitationem ſibi conſtituit, vt protegat, vt defendat, vt auxilium præſtet, & honorem ac decorem. *Ezec.* 2.

Pſal. 7. Et Dauid *Pſalm.* 67. Beneplacitum eſt
D. Aug. Deo habitare in eo. *D. Aug.* Loquitur de
monte Caluario de quo Paulus: Mihi autē
abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri
1. Cor. 1 Ieſu Chriſti 1. *Cor.* 1. Ibi lumen Chriſti,
ibi plenitudo omnis boni, felices qui eliguntur tribulari, vt Chriſtus habitet in eis; cum enim in eis ſic habitat, omnia bona ſua communicat, & ſe ipſum manifeſtat.

## *CAP. XVII. De XVII. conſolatione.*

Tribulationes ſunt media ordinata a Deo ad ſanctificandos homines.

Hiere. 12. *Hiere.* 12. Sanctifica eos in die occiſionis, non enim vult Deus mortem peccatorum, ſed conuerſionem, & ſalutem eorum, ideoq. tribulationes ad eos mittit, vt media efficaciſſima ad ſanctificandos eos.

Pſ. 95. Et Dauid *Pſalm.* 95. Sanctitas, & magnifi-
D. Aug. centia in ſanctificatione eius. *D. Aug.*

1. Paral. 36. Primo dilige ſanctitatem. 1. *Paral.* 36. Cum ſanctificatus fuero in eis, hoc fit cum tribulatis, purgatis, mundatis, vt ſanctificeris, deinde magnificaberis, & ſic ſanctitas, & magnificentia in ſanctificatione eius ſunt, ab eo

dan-

dantur, ab eo proſperantur, & gratia, & miſericordia ſua nobis communicantur.

## *CAP. XVIII. De XVIII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt faſciculus Myrrhæ per quas inter Vbera Chriſti commoramur.

*Cant.* I. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: faſciculus ſunt tribulationes quia breues, & leues, momentaneum, & leue tribulationes noſtræ, myrthæ, quia & ſi amaræ, incorruptionem ſeruant virtutum; inter Vbera Chriſti commoramur, quia inter conſolationes vtriuſq. teſtamenti verſamur, & in amore Dei, & proximi exercemur, inter ſpem, & charitatem confidenter viuimus. *Cant.* I.

Et Dauid *Pſalm.* 91. Et ſenectus mea in miſericordia vberi. *D. Aug.* Quidquid patitur modo Chriſti corpus in laboribus, in ærumnis, in ſcandalis, in præſſuris iuuentus eſt: ſenectus autem opera ſunt noſtra alba ſine nigredine peccati; ſic collocatur fidelis inter vbera Chriſti in miſericordia vberi in pinguiſſima conſolatione. *Pſ.* 91. *D. Aug.*

## CAP. XIX. De XIX. conſolatione.

TRibulationes Vaporem à corde tribulati emittunt, quo diſſipantur inimici
Hiere. 50. eius. *Hierc.* 50. Diſſipate omnes fortes eius, cum patienter tolerantur tribulationes, omnem fortitudinem diabolo, & miniſtris eius auferimus, cum autem oramus, Vaporem emittimus tanti valoris, vt diſſipentur omnes inimici noſtri.

Pſ. 67. Et Dauid *Pſalm.* 67. Exurgat Deus, &
D. Aug. diſſipentur inimici eius, *D. Aug.* Ita factum eſt, cum Chriſtus reſurrexit, & inimici eius diſſipati ſunt, eiecti a Regno, profugi per vniuerſam terram, ſicut fumus defuerunt, omnibus odioſi; cum ergo exiſtis in tribulatione exurgit Chriſtus in reſurrectione viuorum, inuoca, ora, clama, & vaporem ſpem extende, & diſſipabis omnes inimicos tuos.

## CAP. XX. De XX. conſolatione.

TRibulationes ducunt corda hominum ad cælum, cum reſignatione propriè voluntatis.

Rō. 12. *Rom.* 12. Renouamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei
D. Tho. bona, beneplacens, & perfecta. *D. Tho.* renoua-

nouatur vt aquila, homo in laboribus, in exterioribus actibus ſubijciendo voluntatem ſuam voluntati Chriſti, & recuperat guſtum ſanum animæ, & probat, & guſtat voluntatem Dei bonam, quia honeſta, beneplacens, quia delectabilis, & perfecta, quia perficit hominem.

Et Dauid *Pſalm.* 141. Tribulationem meam ante ipſum pronuntio, quia tribulatio ad Chriſtum adducit hominem, ſibi præſentem repræſentat Chriſtum, ideo ante ipſum pronuntiat tribulationem ſuam, ideo reſignat ei voluntatem ſuam. *D. Aug.* Totus eſt Chriſtus, vbi habitat, effunde precem tuam ante eum, Iudex eſt, pronuntia cauſam tuam; vide qualẽ cauſam geras in corde tuo, deficiat in te ſpiritus tuus, voluntas tua, præſumptio tua, vt capias ſpiritũ Dei, humilis factus. *Pſ.* 141. D. *Aug.*

## *CAP. XXI. De XXI. conſolatione.*

Amore languet, qui voluntariè offert ſuum velle Chriſto, tribulationem pro eo patiendo, & hæ ſunt deliciæ Chriſti.

*Cant.* 2. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Verè flores ſunt tribulationes, quæ odorem bonum Chriſto *Can.* 2.

ſpirant, cum pro eo tolerantur, verè mala; quia fructus dulciſſimos præſtant gratiæ virtutum, & donorum Christi, & cum amore patiendi pro Chriſto languet anima, reuiuiſcit ſpiritus.

Pſ. 72. Et Dauid *Pſalm.* 7·. Defecit cor meum, & caro mea, quia amore langueo, deficit cor; & quia tribulor deficit caro m·a: non enim ænea eſt, ſed paſſibilis val le, deficit, quia ex ſe non habet vires nec merita ſed ex gratia Dei, & miſericordia Dei, quæ ſunt diuitiæ Chriſti, & faciunt tribulationes cum patientia diuitias Chriſti: Ideo addit: mihi adhærere Deo bonum eſt. *D. Aug.* Id eſt omne bonum, Deo adhærere nihil eſt melius, niſi quando videbimus facie ad faciem.

D. Aug.

## *CAP. XXII. De XXII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt roſæ pretioſiſſimæ, ex quibus coronam facit Chriſtus.

Ecc. 50. *Eccl.* 50. Quaſi flos roſarum in diebus vernis. Eſt laus Symonis Oniæ filius qui tanta paſſus eſt, vt templum ædificaret, & gentem ſuam defenderet. Tales ſunt, qui pro Eccleſia ædificanda, & ornanda patiuntur tribulationes. Hæ roſæ ſunt, quia lætificant non

ſolum

ſolum Eccleſiam militãtem, ſed triumphantem: De his coronam fabricat Chriſtus Dominus Ieſus, pro ipſo laborantibus, & tribuit animæ qui diligunt nomen eius.

*Pſalm.* 102. Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Miſericordia eſt velle tribulari pro Chriſto, miſerationes Domini ſunt omnes tribulationes, redolent odorem roſarum Chriſto, & Angelis eius: Inter ſpinas tribulationum, miſericordia generatur, cum Virtutis odorem emittunt, manibus ſuis Chriſtus coronam,& facit,& imponit capiti tirbulantis,qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus ſuis. *Pſ.102.*

## *CAP. XXIII. De XXIII. conſolatione.*

IN tribulatione cum patientia, delectatur Chriſtus magis, quam in alia operatione.

*Abac.* 3. Vt requieſcam in die tribulationis. Verè requies eſt Chriſti Domini, tribulario noſtra cum patientia,quia requieſcere nos facit, & ideo delectatur in noſtra tribulatione. *Aba. 3.*

Et Dauid *Pſalm. 69.* Lætati ſumus pro *Pſ. 69*

die-

diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala: hæc lætitia procedit ex gratia Chriſti, qui ſic delectatur in noſtris tribulationibus cum patientia, vt lætare nos faciat ſuper omnia opera miſericordiæ, de quibus dicit: Opera manuum noſtrarum dirige ad vnum finem vltimum gloriæ ſcilicet Dei, ſed gaudium, & lætitiam, tribulatis cum patientia reſeruat, & præſtat.

## *CAP. XXIV. De XXIV. conſolatione.*

TRibulationes dantur à Chriſto propter maiorem animæ ſalutem.

*Rom.* 5. Ad *Rom.* 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. *D. Tho.* Tribulatio viam parat ad patientiam, & ad probationem, & ad ſpem, quia per hoc quod aliquis eſt tribulatus, patiens, & probatus, de eo ſpes haberi poteſt, & ab ipſo, & ab alijs, quod ad hæreditatem Dei admittatur in qua vera ſalus animæ conſiſtit.

*Pſ.* 9. Et Dauid *pſalm.* 9. Et factus eſt Dominus refugium pauperis, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. *D. Aug.* ſic paupe-

res

res facit, quoniam flagellat omnem filium, quem recipit in tribulatione: non enim conuertitur anima ad Deum, niſi dum ab hoc ſæculo auertitur, nec opportunius ab hoc ſæculo auertitur, niſi cum nugatorijs eius, & noxijs, & pernitioſis voluptatibus, labores miſceantur, hæc enim ad ſalutem animæ fiunt.

## *CAP. XXV. De XXV. conſolatione.*

PErſecutiones ab amicis celeriter nos reducunt ad Chriſtum.

*Hiere.* 9. Omnis Amicus fraudulenter incedet, ſed qui ab eis perſequitur, velociter currit ad verum, & vnicum amicum Chriſtũ Dominum, qui eos tuetur, defendit & liberat, quia protector, & merces eſt fidelium. *Hiere.* 9.

Et Dauid *Pſalm.* 37. Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. *D. Aug.* Caput Chriſti noluit ſe ſeparare à vocibus corporis, ſic Corpus non audeat ſe ſeparare a paſſionibus Capitis. Ille ex amicis paſſus eſt inimicos, ſic nos ad hoc paremus in eodem conuiuari, talem calicem non reſpuamus; vt celſitudinis eius deſiderium, per humilitatem eius inueniamus *Pſ.* 37. *D. Aug.*

mus; His afflictus tam feruenter clamat ad Dominum, & tam velociter accedit ad
*Pſ. 68.* Deum, vt confidenter dicat. Tu autem exaudies me Domine Deus.

## *CAP. XXVI. De XXVI. conſolatione.*

TRibulationes diuiduntur, & temperantur a Chriſto, ſecundum cuiuſque diſpoſitionem, & poſſibilitatem.

*Iacob. 1.* *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Primò docet non dare locum triſtitiæ, quia a Deo mittuntur tribulationes, & tentationes. Secundò varias dicit eſſe tentationes, quia diuiduntur ſecundum vniuſcuiuſq. diſpoſitionem. Tertiò docet, probationem eſſe fidei, & fructum patientiæ producere, quia eſt opus perfectum.

*Pſ. 74.* Et Dauid *Pſalm.* 74. Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto, & inclinauit ex
*D. Aug.* hoc in hoc. *D. Aug.* Calix, tribulationes, & paſſiones ſunt, in manu Domini, id eſt Ieſu Chriſti, id eſt in poteſtate eius. Vinum eſt electis Tribulatio omnis, quando patienter, & gau-

& gaudenter bibunt. Ita vt *Paul.*dicat: Gloriamur in tribulationibus: ſex eſt reprobis ob impatientiam, & inclinauit ex hoc in hoc cuique diuidet ſecundum diſpoſitionem, & ordinationem iuſtam, nemini vltra vires, quia 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus quia non patitur tentari ſupra id quod poteſtis. *Rom.* 5. *1. Cor. 10.*

## *CAP. XXVII. De XXVII. conſolatione.*

TRibulationes offerunt Deo monetam auri cum Margarita pretioſa.

*Eccl.* 32. Gemmula carbunculi in ornamento auri, talis eſt tribulatio quæ offertur Deo cum valore monetæ auri in gemma pretioſa, vt mereatur regnum cælorum. In moneta eſt figura Regis, in tribulatione imitatio Chriſti Regis, in auro gratia, in gemma corona. *Eccl.* 32

*Pſalm.* 71. Et dabitur ei de auro Arabiæ, *D. Aug.* Ideſt ſapientiam, quia ita excellit inter omnes doctrinas, ſicut aurum metallo, hæc autem ſapientia offertur in moneta auri in tribulatione cum impreſſione paſſionis Chriſti Domini, ad eius imitationem, & cum Margarita pretioſa patientiæ, quæ perfecit *Pſ.* 71. *D. Aug.*

omnia

omnia: de Arabia autem datur, quia ex gentibus maior pars Eccleſiæ electa eſt ſecundum *D. Auguſtinum*.

## *CAP. XXVIII. De XXVIII. conſolatione.*

TRibulationes Electorum ſunt theſauri abſconditi Chriſti Domini.

*Iſai 45.* *Iſai.*45. Dabo tibi theſauros abſconditos, ad Cyrum dicit Iſaias, ſed ad Eccleſiam verius & perfectius dictum eſt, cui dat Chriſtus Theſauros abſconditos in tribulationibus: Ibi enim abſcondit Theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, & virtutum, & donorum Dei, in humilitate abſcondit, in tribulatione profundè abſcondit.

*Pſ. 32.* *Pſalm.* 32. Ponens in Theſauris abiſſos.

D.*Aug.* *D. Aug.* Theſaurus Dei dicitur ſecretum Dei, nouit ille omnium corda, quid ad tempus proferat, vnde proferat, quantā poteſtas tribuat inimicis in bonos, ad iudicandum malos, erudiendum bonos, nouit qua mente hæc agat, qui ponit in theſauris abiſſos.

## *CAP. XXIX. De XXIX. conſolatione.*

TRibulationes operantur patientiam exercent fidem, & probant hominem. *Rom.*5.

*Rom.* 5. Tribulatio patientiam operatur, *D.Tho.* Non vt cauſa, ſed vt via, & medium, & hoc ex gratia Dei, quia ipſe eſt patientia noſtra. *Rom.* 5. D *Tho.*

*Pſalm.* 61. Quoniam ab ipſo eſt patientia mea. *D. Aug.* Aurum purgatur in fornace, & patientia in rribulatione: Patientia in fornace vt purgatum à ſordibus veniat ad lucem, vbi me ponit artifex tolero, fidem exerceo credendo artifici, & ab eo humiliari diſco in tribulatione, quia ab ipſo ſunt omnia bona. *Pſ.* 61. D.*Aug.*

## *CAP. XXX. De XXX. conſolatione.*

TRibulationes dantur cuique, vt magis ei conueniunt, & vt proſint.

*Eccl.* 6. Vincula illius alligatura ſalutis. Quid enim ſunt triblationes, niſi alligaturæ ſalutis, cum peccatorum noſtrorum maculæ curantur, purgantur, mundantur, hæ cuique diuiduntur alligaturæ ſalutis, prout cuique conueniunt, & proſint ad ſalutem. *Eccl.* 6.

*Pſalm.* 93. Qui mandas ſalutes Iacob. Primo mandauit Iacob labores, tribulationes, & perſecutiones, & fugit peregrinus, & ſeruiuit, ſed in his etiam mandauit ei ſalutes iuxta menſuram laborum; & labores, vt ei *Pſ.* 93.

magis

D. Aug. magis proficerent. *D. Aug.* Per quamcumque creaturam mandat Deus ſalutis ſeruorum, quod tu ipſe per te facis, hoc fit pro ſalute ſeruorum ſuorum quæ faciunt quibus mandas.

## *CAP. XXXI. De XXXI. conſolatione.*

TRibulationes purgant ſuauiter, corrigunt vtiliter, & delicatè.

Hebr. 12 Ad *Hebr.* 12. Quem diligit Dominus caſtigat, flàgellat omnem filium quem recipit in diſciplina perſeuerate, tanquam filijs ſe offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? D. Tho. *D. Tho.* nec mirum ſi omnem filium flagellat, qui proprio filio non pepercit, ad ſalutem tamen flagellat, per diſciplinam purgãtur animę in tribulatione, corrigitur vtiliter cum profectu virtutum, & quia de manu patris delicatè corrigit filium.

Pſ. 93. *Pſalm.* 93. Beatus vir quem tu erudieris Domine, vt mitiges ei a diebus malis donec D. Aug. fodiatur peccatori fouea *D. Aug.* Eruditio iſta humanitatis eſt in laboribus, purgant ſuperbiam, de Cælo adducit Deum humilitas, fouea eſt ſuperbia, hanc ſibi mali fodiunt,

exer-

exercet te non repellit, corripit te vt filium, ſuauiter, vtiliter, & delectabiliter.

## *CAP. XXXII. De XXXII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt colores quibus depingit Deus in anima pulchritudinem imaginis ſuæ.

*Eccl.* 17. Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſum, & ſecundum ſe reſtituit illum virtute. Quando iterum conuertit illum in ipſum, id eſt quando per labores, & tribulationes conuertit eum ad pœnitentiam. Quando veſtiuit illum virtute per colores diuerſarum tribulationum, depinxit, fabricauit veſtem virtutis; quæ veſtis Regia, & nuptialis eſt, & ſic pulchritudinem imaginis in anima formauit; ita vt pulchra, & decora mereatur vocari, & filia Dei. *Eccl.* 17

*Pſalm.* 72. Verumtamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur. *Pſ.* 72.
*D. Aug.* In qua imagine, ideſt in ea qua formatus eſt a Deo ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, in quo conturbatur? Quia theſaurizat, & ignorat cui congregat; Ideo mittit *D. Aug.*

Deus tribulationes, dolores, perſecutiones, vt ſic imaginẽ pulchram efficiat in anima, vt nõ immergatur in his bonis terrenis, & corruptibilibus, ſed theſaurizet in cælo, vbi veræ diuitiæ ſunt, & ſibi certo cõgregat, & nullus eſt qui poſſit eas eripere, aut impedire.

## *CAP. XXXIII. De XXXIII. conſolatione.*

TRibulationes, & dolores fabricant nidum ad pedes Chriſti Domini.

*Eccl.* 36 *Eccl.* 36. Quis credet ei qui non habet nidum? Quaſi dicat nullus, quia latro reputatur exiliens de Ciuitate in Ciuitatem. Qui autem de tribulationibus, & doloribus fabricat ſibi per gratiam nidũ ad pedes Chriſti humiliatus, meretur vt credatur ei, quia facit quæ dicit, & docet, nec ſolum ſibi prodeſt, ſed alijs per exemplum, quo Filios Dei ædificat.

*Pſ.* 72. *Pſalm.* 72. Et turtur nidum vbi ponat pullos ſuos. D. *Aug.* nidus ad tempus congeritur,
*D. Aug.* nidus Eccleſia militans eſt, in hoc nido opera bona, & meritoria collocantur, extra eam non ſunt talia, ex luto, & ex paleis fit nidus, ſic ex laboribus.

*CAP*

## *CAP. XXXIV. De XXXIV. conſolatione.*

TRibulationes maiores, faciunt nidum in latere Chriſti Domini cum latitudine cordis.

*Iſai.* 10. Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinē, talem inuenit Tho. Apoſt. *Iſai.* 10. cum inuitatus à Chriſto; Mitte manum tuam *Luc.* 24. in latus meum, dixit: Dominus meus, & Deus meus, inuenit fortitudinem fidei, veritatem reſurrectionis, & ſalutem ſuam, dilatatur cor tribulati in latere Chriſti, vbi dilatatum fuit cor Chriſti, ad maiora ſufferenda pro Chriſto.

*Pſalm.* 17. Et eduxit me in latitudinem. *Pſ.* 17. D. *Aug.* quia carnales patiebatur anguſtias, eduxit me in latitudinem fidei, in cordis dilatatione, in latere Chriſti, vbi manifeſtata eſt latitudo Chriſti, non ſolum ad tolerandum aduerſa, ſed ad deprecandum pro inimicis.

## *CAP. XXXV. De XXXV. conſolatione.*

TRibulationes faciunt Chriſto thronum margaritarum, quia tribulationes margaritæ ſunt.

*Apoc.* 4. *Apoc.* 4. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; fulgura conuertuntur in lapides prætioſos, voces in laudes, tonitruor in margaritas prætioſas, & ex his efficitur thronus Dei Chriſti, iudicans cum miſericordia, diſponens omnia noſtra in bonum ſalutis noſtræ.

*Pſ* 9. *Pſalm.* 9. Sediſti ſuper thronum qui iudi-
*D. Aug.* cas æquitatem. *D. Aug.* cum reſurrexit, ſedit cum tribulatis ſubuenit; ſtat, vt apparuit Beato Stephano; cum tribulatione iudicat æquitatē, de tribulationibus facit ſibi thronum æquitatis, quia omnia ſecundum æquitatem diſponit, felix qui talem thronum margaritis ornat Chriſto.

## *CAP. XXXVI. De XXXVI. conſolatione.*

TRibulationes conſeruant dona Dei, & memoriam æternorum bonorum.

*Eccl.* 23.

*Eccl.* 23. In tentatione Deus illum conſeruauit, & liberauit, Quotidie experimus hanc veritatem, in proſperis enim facilè quis extollitur, in tribulatione vero humiliatur, & humilitate conſeruantur dona Dei in qua recipiuntur, cùm autem liberationem promittit, memoriam æternorum conſeruat, vbi eſt vera libertas. *Eccl.* 23

*Pſalm.* 15. Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te, ſpes ergo Dei in tribulatione conſeruat tribulatos cum memoria æternæ retributionis, quæ eſt obiectum ſpei. *Pſ.* 15.

## *CAP. XXXVII. De XXXVII. conſolatione.*

TRibulationes faciũt cogitare defectus proprios, & vincere, & mundare eos.

*Apoc.* 3. Neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: ego quos amo arguo & caſtigo, ac ſi diceret: in flagellis, & tribulationibus cognoſcuntur defectus proprij, & pœnitentia vincuntur, & mundantur, ideo ſuadet vt pœnitentiam agat. *Apoc.* 3.

*Pſalm.* 138. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. D. *Aug.* quod humili- *Pſ.* 113. *D. Aug.*

militare percepimus, timemus amittere per ſuperbiam:Ideo in diſpenſandis tribulationibus mirabilis apparet, & terribilis; quia terribiliter magnificatus eſt in eis, aliud mirabile eſt,quod anima mea cognoſcet nimis,quia per gratiam tuam illuminas tenebras meas, & cognoſco defectus etiam minimos in hac luce, & cognoſcendo mundantur, & mundando vincuntur. Aliud mirabile quod non diuertit oculos ad defectus alienos occupatus in cognoſcendo proprios.

## *CAP. XXXVIII. De XXXVIII. conſolatione.*

Tribulationes temperantur a Chriſto præſente,ſicut cum mater calefacit filium, manum ponit inter ignem,& filium delicatum, ne tranſeat nimius calor.

*Iſai.28.* *Iſai.* 28. Ponam in pondere Iuditium, & Iuſtitiam in menſura. Hoc euenit in omni tribulatione, de qua Chriſtus Dominus di-
90. cit: Cum ipſo ſum in tribulatione ipſe eſt Iudex, cui Pater dedit omne iuditium, ſed in pondere ponderantur omnes tribulationes ab eo, & iuſtitiam quam in tribulationibus exercet,habet menſuram, hanc ponderat ex

his

Digitized by Google

his quæ Chriſtus paſſus eſt pro nobis, ſed ipſe prius manum poſuit, & ad nos tantum transire facit, quantum eius menſura iudicat.

*Pſalm.* 79. Cibauit nos pane lachrimarũ, & potum dabis nobis in menſura, lachrimæ ex tribulationibus ſtillantur, & panis, & potus ſunt, quia cibus Dei ſunt, & a Deo dantur, & virtutem panis, & potus ab eo recipiunt, & dulces ſunt ex gratia Dei, dantur tamen in menſura. *Pſ.* 79.

## *CAP. XXXIX. De XXXIX. conſolatione.*

TRibulationes operantur laudes Dei, & ſalutem per Chriſtum Dominum.

*Dan.* 3. Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant Deum in fornace, & hymnum compoſuerunt, & cantauerunt cum ſalute animarum ſuarum: operatur ergo fructum tribulationis, ignis, laudes Dei, & ſalutem animarum. *Dan.* 3.

*Pſalm.* 76. In tribulatione mea Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus. *D. Aug.* per tribulationem intelligit vitam præſentem, quia ten- *Pſ.* 76. *D. Aug.*

 tatio

Iob.7. tatio eſt vita humana ſuper terram. *Iob.* 7. ſiue ergo in tribulatione vitæ huius peregrinationis, ſiue in quacumq. alia tribulatione Deum laudare debemus, Deum exquirere, Deo inhærere, quod maius eſt, quam liberari à tribulationibus, id eſt manibus meis operibus bonis, voce laudare, opere etiam laudare Deum, nocte id eſt in hoc ſæculo, laudes Dei lucernæ ſunt, vt conſolemur in hac vita, & non ſum deceptus, nec decipi poſſum, quia Deus fidelis eſt, & promiſſa adimplet, & replet in bonis deſideria noſtra.

## *CAP. XL. De XL. conſolatione.*

TRibulationes parant locum conſolationi æternæ.

2.Theſ.2. 2. *Theſſal.* 2. Ipſe autem Dominus Ieſus Chriſtus, Deus, & Pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam.

D.Tho. *D. Tho.* In tribulatione dat Chriſtus conſolationem æternam, & tribulatio eſt via ad hanc conſolationem contra omnia mala imminentia, & futura.

Pſ. 72. *Pſal.* 72. Lauaui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & caſtigatio

D.Aug. mea in matutinis. *D. Aug.* Vbi eſt præmium ſer-

ſeruitutis meæ, bene ſeruio & flagellor, fluctuat in tempeſtate, non differtur tribulatio, imo continuatur hoc eſt in matutinis, intra in ſanctuarium Dei, & videbis tibi æternam conſolationem præparare tribulationes.

## *CAP. XLI. De XLI. conſolatione.*

TRibulationes etiam in hac vita merentur, & accipiunt conſolationes.

*Iſai.* 51. Ego ipſe conſolabor vos, ſic promittit, ſic adimplet, ſic conſolatus eſt diſcipulos euntes in Emaus, explicat eis ſacras Scripturas, & manducans cum eis, ſic conſolatus fuit Thomam, ſic Stephanum cui aperuit cœlos, & manifeſtauit ſe ipſum, vt auxilium, & victoriam, & coronam illi daret. *Iſai.* 51. *Luc.* 24.

*Pſ.* 71. Quantas oſtẽdiſti mihi tribulationes multas, & malas, multiplicaſti potentiam tuam, & conuerſus cõſolatus eſt me. *D. Aug.* Diſciplina eſt, & eruditio non deſertio, ad ipſum intellectum pertinet flagellum, quia tẽpus eſt vt iuditium incipiat à domo Dei, id eſt à Sanctis eius. 1. *Pet.* 4. nec Filio ſuo pepercit, & conuerſus conſolatus eſt me, etiam hic in medio tribulationis, vt ſancto Antonio dixit Chriſtus: hic eram cum debellabas, *Pſ.* 71. *D. Aug.* 1. *Pet.* 4.

hic

hic ſum, vt habeas conſolationes, & quæ maior poteſt eſſe quam præſentia virtutum Chriſti?

## *CAP. XLII. De XLII. conſolatione.*

TRibulationes cooperiunt magnos defectus.

*Eccl.* 45. *Eccl.* 45. Elias in turbine tectus eſt, ſic teguntur defectus humani, in tribulatione, quæ vt turbo circundat filios Dei, & dilectos ſuos.

*Pſ.* 31. *Pſalm*, 31. Beati quorum tecta ſunt pec-
*D. Aug.* cata. *D. Aug.* cooperta, & tecta ſunt peccata in tribulatione, quia abolita ſunt, non vult punire, vult ignoſcere, tecta dixit, vt non viderentur, nec puniretur, & vere ſic eſt, quod in tribulatis ſolum cōſideramus afflictionem & cōpaſſione eos ſubleuamus, & ſubuentione, defectus autem nec videmus, nec conſideramus: ſicut in infirmo, non attendit Medicus defectus, ſed medicinam ſalutarē, omnia ſuffert, & ſuſtinet, tantum ſanetur attendit.

## *CAP. XLIII. De XLIII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt vt Arca Noè, & fabricant in corde tres Cameras. Prima

pro

pro volatilibus, ideſt pro cogitationibus ſpiritualibus. Secunda pro hominibus ideſt patientia electorum. Tertia pro animalibus, pro mortificatione præſenti.

*Prouerb.* 12. Cogitationes Iuſtorum iudicia, his ſpiritualia reuoluit in corde ſuo Iuſtus. *Prouerb.* 14. Qui patiens eſt, multa gubernauit prudentia maximè in aduerſis laborans. *Prouerb.* 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ in gaudio eius non miſcetur extraneus: Amaritudo animæ eſt mortificatio, pœnitentia, & contritio vera vbi ſanare animam poteris. *Prou.* 12 *Prou.* 1 *Prou.* 14

*Pſalm.* 75. Cogitatio hominis confitebitur tibi. *D. Aug.* Loquitur de cogitatione prima, quæ in prima cordis Camera fieri debet, & hæc eſt confeſſio quæ damnat priorem vitam, & confiteri facit non ſolum peccatum, ſed Deum laudare in tribulationibus, quæ tibi dantur ad purganda peccata. *D. Aug.* Reliquiæ cogitationis ſunt memoria primæ cogitationis, frequens illius recordatio, hæ reliquiæ faciunt patienter ſuſtinere tribulationes, & feſtum celebrant Chriſto in cordis Camera, quod propriũ electorũ tabernaculũ, eſt & exercitiũ. De tertia Camera, in circuitu eius munera offerunt. *D. Aug.* *Pſ.* 14. *D. Aug.* *D. Aug.* *D. Aug.*

Veritas eſt in medio, omnibus communis, nemo eam ſibi appropriet, Deus in medio eſt omnibus communis, offerta munera, aurum, thus, & myrrham, cor contritum eſt aurum; & humiliatum eſt thus, & mortificatum eſt myrrha.

## *CAP. XLIV. De XLIV. conſolatione.*

Delectatur Chriſtus in corde tribulato, & contrito, & ad ſiniſtrã conſtituit eũ.

*Prou.* 8. *Prouerb.* 8. Et delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum, promiſit Chriſtus, & impletum

*Pſ.* 90. eſſe in tribulatis teſtatur *Dauid*. Cum ipſo ſum in tribulatione, & licet in tribulatione, ad ſiniſtram ſit tribulatus, eripiam eum, & glorificabo eum, quod eſt à dextris collocare eum, ſi ergo Chriſtus delectatur in tribulationibus. Quare nos non debemus delectari in illis?

*Pſ.*13. *Pſalm.* 13. Et nox illuminatio mea in de-

*D. Aug.* litijs meis. *D. Aug.* Vita mea flagellis plena, percuſſit qui me vocando ab interitu reuocauit, Chriſtus deſcendit, accendit lucernam, illuminat præſentia ſua, verbo ſuo, & ſit tribulatio noctis, delitiæ meæ, quia Chriſtus delitię meæ eſt, & nos delitiæ eius ſumus

mus in tribulationibus, & ex ſiniſtra ad dexteram vocat.

## *CAP. XLV. De XLV. conſolatione.*

TRibulationes cum patientia in memoriã paſſionis Chriſti, eſt maius ſeruitiũ. Ad *Philip.* 1. Vobis donatum eſt, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, pro munere magnõ donatum eſt, vt in eum credatis, ſed quod maius ſeruitium eſt, pro eo pati donatum eſt etiam, vt pro eo patiamini tribulationes patienter, quod eſt magnum donum, ait *D. Tho.* Vt cauſam Chriſti agatis, vt Athletæ eius, imo & vtile, & honorificum donum. *Philip.* 1 *D. Tho.*

*Pſal.* 33. Multæ tribulationes Iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos, cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. *D. Aug.* Multæ ſunt tribulationes Iuſtorum, quia per eas veniunt ad ſempiternam requiem, quia maius Dei ſeruitium fit per eas, cum Chriſti paſſione vniti. In alijs operibus fit ſeruitium per carnem, mortificando ſe, exhibendo opera miſericordię, ſed in tribulationibus fit ſeruitium per oſſa, ideo cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum. *Pſ.* 33. *D. Aug.*

D.

D. *Aug.* *D. Aug.* Oſſa ſunt ſides firma, patientia, conſtantia, hæc cuſtodit dominus, hæc non permittit frangi, & ſi in bono latrone oſſa confracta ſunt, non tamen fidei conſtantia, & patientia, & ſic maius ſeruitium maiori dono conſeruatur, & præmio decoratur.

## *CAP. XLVI. De XLVI. conſolatione.*

TRibulationes ſunt litteræ miſſæ à Chriſto ſeruis ſuis, & ſcriptæ cum ſanguine de latere ſuo.

2. *Cor.* 3 *2. Cor. 3.* Manifeſtum eſt quoniam Epiſtola eſtis Chriſti, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui; In tribulatione manifeſtatur qui habet Epiſtolam ſcriptam Chriſti; & ſunt Epiſtolæ Chriſti, quia Chriſtus per tribulationes quas mittit ſcribit Epiſtolam ſuam: non atramento nigro, quod eſt erroris ſimbolum, ait *D. Tho.* Sed ſanguine rubro lateris Chriſti, & Spiritu Dei viui, vt in tanto prætio habeamus tribulationes ab eo miſſas, vbi legimus eius paſſionem, eius familiaritatem, & diſcimus eius ſapientiam, & humilitatem, & omnes virtutes, & experimur eius auxilia, & dona.

D. *Tho.*

44. *Pſalm.* 44. Lingua mea calamus ſcribæ

velociter ſcribẽtis,hoc eſt verbum, & Chriſtus calamus ſcribens quæ ipſe paſſus eſt, ſcribit menſuram, & mittit ad ſuos electos Epiſtolam tribulationum, velociter ſcribit, quia cito tranſit omnis tribulatio, cum ſit momentanea,& leuis ſecundum Paulum.

## *CAP. XLVII. De XLVII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt vinum cum myrrha, & felle mixtum, & Chriſtus noluit bibere, vt nos biberemus, guſtauit autem vt ſalubriter & ſecuri biberemus, in Vino lætitiam, in myrrha mortificationem, in felle amaritudinem contritionis.

*Cant.* 8. Dabo tibi poculum ex vino condito, ſic temperat, & ordinat Deus omnes tribulationes electorum, eas primus Chriſtus bibit, & omnes; & maiores ſuſtinuit ipſe vinum cum myrrha, & felle mixtum, reſeruauit nobis, partem cuique diuidendam, & cum guſtauit,ſalutarem efficit omnem tribulationem: id eſt lætitiam communicat, cum gloriabatur Paulus in tribulationibus, myrrham miſcuit, cum ſupra modum grauatus fuit, felle potauit eum, cum retribuebant ei mala pro bonis, & deficiebant a fide eius diſci- *Can.* 8. *Rom.* 8.

ſcipuli; nobis autem & lætitiam offert, & mortificationem docet, & contritionem exercet in tribulationibus.

Pſ. 68. *Pſalm*. 68. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

D. Aug. Matth. 27. *D. Aug*. Ita factum eſt, vt Euangeliſta *Matth. cap*. 27. Teſtatur, & impleta eſt hæc prophetia, ſed videamus miſterium, eſca Chriſti Sacramentum corporis ſui facit, tam dulcis, & ſuauis eſca vnitatis Chriſti cum Eccleſia.

1. Cor. 10 1. *Cor*. 10. Quia vnus panis, & vnum corpus ſumus multi, in hac eſca ponũt fel contradictores Euangelij, Iudæi increduli, & hæretici, & idem faciunt, qui malè viuendo ſcandalum inferunt. Acetum autem voluntatem, & perſecutionem in erroribus, & peccatis deſignat. Quid ergo mirum, ſi nobis dantur perſecutores, & dolores, fel & acetum tam moderatum, vt bibamus cum patientia, & ſuſtineamus cum lætitia? & mortificationem, & contritionem, vt fructus vtiliſſimos guſtemus?

## *CAP. XLVIII. De XLVIII. conſolat.*

TRibulationes ſunt claues Aureæ Theſaurorum Chriſti Domini.

*Iſai.*

*Iſai.* 22. Et dabo Clauem domus Dauid ſuper humerũ eius, & aperiet;& non erit qui claudat,& claudet & nó erit qui aperiat. Tribulationes vocat clauem domus Dauid, per quas introiuit in Regnũ, & per eas ingrediuntur electi in Regnũ cælorum, ponitur autem ſuper humerum quia ibi onus portatur,& ſuſtinetur cum patientia, aperit, & non eſt qui claudat niſi eadem clauis, & claudit & non eſt qui aperiat niſi eadem clauis tribulationis. Aperit Chriſto cum cor ei tradit cum patientia, claudit Diabolo cum reſiſtit ei tentanti. *Iſai.* 22.

*Pſalm.* 77. Et Ianuas cæli aperuit,& pluit illis manna, id eſt clauibus tribulationum, aperuit populo ſuo Ianuas cæli, eiſdem aperit dilectis Theſauros ſuos. Tribulationes ergo claues ſunt Aureæ, quia à Dei ſapientia ordinãtur,& aperiunt Theſauros Chriſti: inde enim accipiunt tribulati fortitudinem fidei, conſtantiam in perſeuerantia,perfectionem in patientia, gaudium cum lætitia, humilitatem cum manſuetudine. *Pſ.* 77.

## *CAP. XLIX. De XLIX. conſolatione.*

TRibulationes pro Chriſto toleratæ ſunt contracambium paſſionis eius.

xit eos de terra Aegypti, eoſdem eduxit eos de Babylone, & quotidie educit hoc ſceptro electos ſuos; ſic Paulum, ſic alios multos.

*Pſ. 20.* *Pſalm.* 20. Domine in virtute tua lætabitur Rex, exaltare Domine in virtute tua virtus Domini ſceptrum eius, poteſtas eius, qua diſpenſat tribulationes, vt Rex Regum, & Dominus Dominantium; lætatur cum patienter tolerantur tribulationes. *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate, & exaltatur ſceptrum eius cum gratias agimus ei pro tribulationibus noſtris.

*Iacob.* 1.

## *CAP. LII. De LII. conſolatione.*

TRibulationes oblatæ pro animabus Purgatorij, releuant eas à pœnis ſuis: *Iob.* 19. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me: poſtulant miſericordiam, qui ſibi non poſſunt ibi mereri, nec mederi, ab his qui poſſunt ſuis tribulationibus pro eis oblatis à pęnis liberare. Quis eſt qui non miſereatur, & pro eis offerat quod ſibi non nocet, imò prodeſt?

*Iob.* 10.

*Pſ.* 112. *Pſalm.* 112. Iucundus homo qui miſeretur, & commodat. *D. Aug.* Cum dimittis inimicis miſereris, in eo quod das, commodas

das

das ignoſcendo, tuorum comparas veniam peccatorum, ne pigri ſimus ad hæc fratres, non eris inglorius ignoſcendo, quia de ira victa laudibilius triumphatur, non eris egenus tribuendo, quia inuenies theſaurum in cælis, cum ergo pro animabus inimicorum tuorum offers tribulationes tuas, miſericordiam exhibes magnam, cum autem pro alijs obtuleris commodas, vt theſaurum ibi tuo tempore inuenias.

## *CAP. LIII. De LIII. conſolatione.*

TRibulationes, infirmitates, & dolores ſunt ſigna Amoris Chriſti Domini. *Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo, & caſtigo quia ſigna amoris Chriſti ſunt tribulationes, infirmitates, & dolores, flagella Patris, ſigna amoris Patris, flagellat omnem filium quem recipit, ſic accipe, ſic ſuſtine, ſic gratus eſto, dilige Patrem flagellantem, gratias, in ſignum tui amoris, exhibe Chriſto pro omnibus tribulationibus. *Apoc.* 3.

*Pſalm.* 36. Dominus amat Iuditium, & non derelinquet ſanctos ſuos. *D. Aug.* Quando patiuntur labores ſancti, nolite putare quod non iudicat Deus, aut peruersè iudi- *Pſ.* 36. *D. Aug.*

cat, amat Iuditium, amoris ſigna ſunt flagella, talia ſigna amoris Filio ſuo vnico Deus dedit, vt pro omnibus pateretur, talia tu pro tua ſalute ſuſtine, & gratus eſto amando ſigna amoris, & amorem, & amatorem tam feruentem.

## *CAP. LIV. De LIV. conſolatione.*

TRibulationes, ſunt diſpoſitiones, & media ad merendam beatitudinem.

Matt. 5. *Matth.* 5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, hoc eſt medium efficaciſſimum ad merendam beatitudinem, ideo tribuitur Apoſtolis, & Martyribus, ex quo habemus genus eſſe martyrij perſecutiones pati propter Iuſtitiam.

Pſ. 93. P*ſalm.* 93. Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium ſpei

D. Aug. meæ. *D. Aug.* Facit mihi de malitia malorum tribulationem, punitus tribulatione cœpi quęrere refugiũ. Qui enim ſemper felix eſt, non facilè recordatur Deum, intrat vas in fornacem, vt coquatur, non vt frangatur, & factus eſt mihi in auxilium ſpei meæ, ideſt vt beatitudinem habeam per talia media.

CAP.

## *CAP. LV. De LV. conſolatione.*

TRibulationes lauant pedes Chriſti, patientia tergit, deuotio vngit.

*Luc.* 15. Lachrimis cœpit rigare pedes Chriſti, & capillis capitis terſit, & vnguento vnxit, ex tribulationibus lachrimę procedūt, ideo rigant pedes Chriſti, vt veritatē humilitatis addiſcant, capilli ſimbolum ſunt patiētiæ, quia ſignum ſunt obedientiæ, ideo ſeruantur mulieribus: Vnguentum, deuotionem ex varijs conſiderationibus rerum ſpiritualium, & æternarum, & miſericordiæ denotat, quibus pedes Chriſti recreantur, cum in laboribus, & tribulationibus, deuotionem oſtendimus. *Luc.* 15.

*Pſalm.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *D. Aug.* De talibus eſto in quibus ſteterunt pedes eius, id eſt Chriſti illos adora, illos laua eiſdem tribulationibus tuis cum humiliaberis, illos terge patientia tua, eoſdem vnge vnguento deuotionis & gratiarum actionis, opus magnum feciſti, ſit fides tua magna, & charitas maior. *Pſ.* 131. *D. Aug.*

Veritas eſt in medio, omnibus communis, nemo eam ſibi appropriet, Deus in medio eſt omnibus communis, offerta munera, aurum, thus, & myrrham, cor contritum eſt aurum, & humiliatum eſt thus, & mortificatum eſt myrrha.

## *CAP. XLIV. De XLIV. conſolatione.*

DElectatur Chriſtus in corde tribulato, & contrito, & ad ſiniſtrã conſtituit eũ.
Prou. 8. *Prouerb.* 8. Et delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum, promiſit Chriſtus, & impletum
Pſ. 90. eſſe in tribulatis teſtatur *David*. Cum ipſo ſum in tribulatione, & licet in tribulatione, ad ſiniſtram ſit tribulatus, eripiam eum, & glorificabo eum, quod eſt à dextris collocare eum, ſi ergo Chriſtus delectatur in tribulationibus. Quare nos non debemus delectari in illis?

Pſ. 13. *Pſalm.* 13. Et nox illuminatio mea in de-
D. Aug. litijs meis. *D. Aug.* Vita mea flagellis plena, percuſſit qui me vocando ab interitu reuocauit, Chriſtus deſcendit, accendit lucernam, illuminat præſentia ſua, verbo ſuo, & fit tribulatio noctis, delitiæ meæ, quia Chriſtus delitię meæ eſt, & nos delitiæ eius ſumus

mus in tribulationibus, & ex ſiniſtra ad dexteram vocat.

## CAP. XLV. De XLV. *conſolatione*.

TRibulationes cum patientia in memoriã paſſionis Chriſti, eſt maius ſeruitiũ. Ad P*hilip.* 1. Vobis donatum eſt, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, pro munere magno donatum eſt, vt in eum credatis, ſed quod maius ſeruitium eſt, pro eo pati donatum eſt etiam, vt pro eo patiamini tribulationes patienter, quod eſt magnum donum, ait *D. Tho.* Vt cauſam Chriſti agatis, vt Athletæ eius, imo & vtile, & honorificum donum. *Philip.* 1 *D. Tho.*

*Pſal.* 33. Multæ tribulationes Iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos, cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. *D. Aug.* Multæ ſunt tribulationes Iuſtorum, quia per eas veniunt ad ſempiternam requiem, quia maius Dei ſeruitium fit per eas, cum Chriſti paſſione vniti. In alijs operibus fit ſeruitium per carnem, mortificando ſe, exhibendo opera miſericordię, ſed in tribulationibus fit ſeruitium per oſſa, ideo cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum. *Pſ.* 33. *D. Aug.*

D.

D. *Aug.* *D. Aug.* Oſſa ſunt fides firma, patientia, conſtantia, hæc cuſtodit dominus, hæc non permittit frangi, & ſi in bono latrone oſſa confracta ſunt, non tamen fidei conſtantia, & patientia, & ſic maius ſeruitium maiori dono conſeruatur, & præmio decoratur.

## *CAP. XLVI. De XLVI. conſolatione.*

Tribulationes ſunt litteræ miſſæ à Chriſto ſeruis ſuis, & ſcriptæ cum ſanguine de latere ſuo.

2. *Cor.* 3 *2. Cor. 3.* Manifeſtum eſt quoniam Epiſtola eſtis Chriſti, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui; In tribulatione manifeſtatur qui habet Epiſtolam ſcriptam Chriſti; & ſunt Epiſtolæ Chriſti, quia Chriſtus per tribulationes quas mittit ſcribit Epiſtolam ſuam: non atramento nigro, quod eſt erroris ſimbolum, ait *D. Tho.* Sed ſanguine rubro lateris Chriſti, & Spiritu Dei viui, vt in tanto prætio habeamus tribulationes ab eo miſſas, vbi legimus eius paſſionem, eius familiaritatem, & diſcimus eius ſapientiam, & humilitatem, & omnes virtutes, & experimur eius auxilia, & dona.

D. *Tho.*

*Pſ.* 44. *Pſalm.* 44. Lingua mea calamus ſcribæ

velo-

velociter ſcribētis,hoc eſt verbum, & Chriſtus calamus ſcribens quæ ipſe paſſus eſt, ſcribit menſuram, & mittit ad ſuos electos Epiſtolam tribulationum, velociter ſcribit, quia cito tranſit omnis tribulatio, cum ſit momentanea,& leuis ſecundum Paulum.

## *CAP. XLVII. De XLVII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt vinum cum myrrha, & felle mixtum, & Chriſtus noluit bibere, vt nos biberemus, guſtauit autem vt ſalubriter & ſecuri biberemus, in Vino lætitiam, in myrrha mortificationem, in felle amaritudinem contritionis.

***Cant.*** 8. Dabo tibi poculum ex vino condito, ſic temperat, & ordinat Deus omnes tribulationes electorum, eas primus Chriſtus bibit, & omnes; & maiores ſuſtinuit ipſe vinum cum myrrha, & felle mixtum, reſeruauit nobis, partem cuique diuidendam, & cum guſtauit,ſalutarem efficit omnem tribulationem: id eſt lætitiam communicat, cum gloriabatur Paulus in tribulationibus, myrrham miſcuit, cum ſupra modum grauatus fuit, felle potauit eum, cum retribuebant ei mala pro bonis, & deficiebant a fide eius diſci-

*Can.* 8.

*Rom.* 8.

ſcipuli; nobis autem & lætitiam offert, & mortificationem docet, & contritionem exercet in tribulationibus.

Pſ. 68. P*ſalm*. 68. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

D. Aug. Matth. 27. *D. Aug*. Ita factum eſt, vt Euangeliſta *Matth. cap*. 27. Teſtatur, & impleta eſt hæc prophetia, ſed videamus miſterium, eſca Chriſti Sacramentum corporis ſui facit, tam dulcis, & ſuauis eſca vnitatis Chriſti cum Eccleſia.

1. Cor. 10 1. *Cor*. 10. Quia vnus panis, & vnum corpus ſumus multi, in hac eſca ponũt fel contradictores Euangelij, Iudæi increduli, & hæretici, & idem faciunt, qui malè viuendo ſcandalum inferunt. Acetum autem voluntatem, & perſecutionem in erroribus, & peccatis deſignat. Quid ergo mirum, ſi nobis dantur perſecutores, & dolores, fel & acetum tam moderatum, vt bibamus cum patientia, & ſuſtineamus cum lætitia? & mortificationem, & contritionem, vt fructus vtiliſſimos guſtemus?

*CAP. XLVIII. De XLVIII. conſolat.*

TRibulationes ſunt claues Aureæ Theſaurorum Chriſti Domini.

*Iſai.*

*Iſai.* 22. Et dabo Clauem domus Dauid *Iſai.* 22.
ſuper humerũ eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet & nõ erit qui aperiat. Tribulationes vocat clauem domus Dauid, per quas introiuit in Regnũ, & per eas ingrediuntur electi in Regnũ cælorum, ponitur autem ſuper humerum quia ibi onus portatur, & ſuſtinetur cum patientia, aperit, & non eſt qui claudat niſi eadem clauis, & claudit & non eſt qui aperiat niſi eadem clauis tribulationis. Aperit Chriſto cum cor ei tradit cum patientia, claudit Diabolo cum reſiſtit ei tentanti.

*Pſalm.* 77. Et Ianuas cæli aperuit, & pluit *Pſ.* 77.
illis manna, id eſt clauibus tribulationum, aperuit populo ſuo Ianuas cæli, eiſdem aperit dilectis Theſauros ſuos. Tribulationes ergo claues ſunt Aureæ, quia à Dei ſapientia ordinãtur, & aperiunt Theſauros Chriſti: inde enim accipiunt tribulati fortitudinem fidei, conſtantiam in perſeuerantia, perfectionem in patientia, gaudium cum lætitia, humilitatem cum manſuetudine.

## *CAP. XLIX. De XLIX. conſolatione.*

TRibulationes prò Chriſtò toleratæ ſunt contracambium paſſionis eius.

1.Theſ.1 1. *Theſ.* 1. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſan-
D.Tho. cti. *D. Tho.* Imitatores mei in quo imitamur Chriſtum, ideſt in patientia tribulationum, & hoc eſt tollere crucem, & ſequi Chriſtum *Matth.* 6.

Amor autem Dei fuit gaudium patientibus propter Deum.

Pſ.125. *Pſalm.* 125. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem ſaluta-
D. Aug. ris accipiam. *D. Aug.* Retribuit Deus bona pro malis, & non inuenit quid retribuat niſi quæ ipſæ Chriſtus Dominus retribuit, qui dicit: Poteſtis bibere calicem quem ego bi-
Matt.10 biturus ſum? *Matth.* 10. Ipſe dedit calicem, ipſe primo bibit, & pro eo quod pro omnibus bibit, bibit vnuſquiſq. calicem tribulationis in cambium ſuæ ſanctiſſimæ paſsionis.

## *CAP. L. De L. conſolatione.*

TRibulationes ſunt Thuribula ſpirantia odorem ſuauitatis Chriſto Domino Noſtro.

Apoc.8. *Apoc.* 8. Accipit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſſo in ter-

ram

ram facta ſunt tonitrua, & voces: tonitrua ſunt tribulationes, ſed miniſtrantur ab Angelo, & igne de altari, id eſt fide viua temperantur, voces autem quæ ſunt orationes odorem emittunt ſuauitatis Chriſto Domino noſtro.

*Pſalm.* 65. Igne nos examinaſti, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro; tranſiuimus per ignem, & aquam, introibo in domum tuam in holocauſtis, ignis apponitur in thuribulo tribulationis vt ardeat, vt purificet, vt odorē emittat, ponit tribulationis thuribulum in dorſo, vt humiliet, tranſit per ignem, & aquam odoriferam, intrat cum hoc thuribulo in Eccleſiam Chriſti, quæ eſt domus eius, offert holocauſta, totum accenſum ſacrificium, vt totum Chriſto ſe offerat in odorem ſuauitatis. *Pſ.* 65.

## *CAP. LI. De LI. conſolatione.*

TRibulationes cum patientia ſunt ſceptrum Regale Domini noſtri.

*Ezech.* 20. Et ſubijciam vos ſceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis. Sępe ſubiecit Deus populum ſuum ſceptro ſuo Regali, id eſt tribulationibus, hoc ſceptro edu- *Ezec.* 20

xit eos de terra Aegypti, eoſdem eduxit eos de Babylone, & quotidie educit hoc ſceptro electos ſuos; ſic Paulum, ſic alios multos.

*Pſ. 20.* *Pſalm.* 20. Domine in virtute tua lætabitur Rex, exaltare Domine in virtute tua virtus Domini ſceptrum eius, poteſtas eius, qua diſpenſat tribulationes, vt Rex Regum, & Dominus Dominantium; lætatur cum pa-

*Iacob. 1.* tienter tolerantur tribulationes. *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate; & exaltatur ſceptrum eius cum gratias agimus ei pro tribulationibus noſtris.

## *CAP. LII. De LII. conſolatione.*

TRibulationes oblatæ pro animabus Purgatorij, releuant eas à pœnis ſuis:

*Iob. 10.* *Iob.* 19. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me: poſtulant miſericordiam, qui ſibi non poſſunt ibi mereri, nec mederi, ab his qui poſſunt ſuis tribulationibus pro eis oblatis à pęnis liberare. Quis eſt qui non miſereatur, & pro eis offerat quod ſibi non nocet, imò prodeſt?

*Pſ. 112.* *Pſalm.* 112. Iucundus homo qui miſeretur, & commodat. *D. Aug.* Cum dimittis inimicis miſereris, in eo quod das, commodas

das

das ignoſcendo, tuorum comparas veniam peccatorum, ne pigri ſimus ad hæc fratres, non eris inglorius ignoſcendo, quia de ira victa laudabilius triumphatur, non eris egenus tribuendo, quia inuenies theſaurum in cælis, cum ergo pro animabus inimicorum tuorum offers tribulationes tuas, miſericordiam exhibes magnam, cum autem pro alijs obtuleris commodas, vt theſaurum ibi tuo tempore inuenias.

## *CAP. LIII. De LIII. conſolatione.*

TRibulationes, infirmitates, & dolores ſunt ſigna Amoris Chriſti Domini.

*Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo, & caſtigo *Apoc.* 3. quia ſigna amoris Chriſti ſunt tribulationes, infirmitates, & dolores, flagella Patris, ſigna amoris Patris, flagellat omnem filium quem recipit, ſic accipe, ſic ſuſtine, ſic gratus eſto, dilige Patrem flagellantem, gratias, in ſignum tui amoris, exhibe Chriſto pro omnibus tribulationibus.

*Pſalm.* 36. Dominus amat Iuditium, & *Pſ.* 36. non derelinquet ſanctos ſuos. *D. Aug.* Quando *D. Aug.* patiuntur labores ſancti, nolite putare quod non iudicat Deus, aut perverſè iudi-

cat, amat Iuditium, amoris ſigna ſunt flagella, talia ſigna amoris Filio ſuo vnico Deus dedit, vt pro omnibus pateretur, talia tu pro tua ſalute ſuſtine, & gratus eſto amando ſigna amoris, & amorem, & amatorem tam feruentem.

## *CAP. LIV. De LIV. conſolatione.*

TRibulationes, ſunt diſpoſitiones, & media ad merendam beatitudinem.

*Matt. 5.* *Matth.* 5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, hoc eſt medium efficaciſſimum ad merendam beatitudinem, ideo tribuitur Apoſtolis, & Martyribus, ex quo habemus genus eſſe martyrij perſecutiones pati propter Iuſtitiam.

*Pſ. 93.* P*ſalm.* 93. Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium ſpei
*D. Aug.* meæ. *D. Aug.* Facit mihi de malitia malorum tribulationem, punitus tribulatione cœpi quęrere refugiũ. Qui enim ſemper felix eſt, non facilè recordatur Deum, intrat vas in fornacem, vt coquatur, non vt frangatur, & factus eſt mihi in auxilium ſpei meæ, ideſt vt beatitudinem habeam per talia media.

CAP.

## *CAP. LV. De LV. conſolatione.*

TRibulationes lauant pedes Chriſti, patientia tergit, deuotio vngit.

*Luc.* 15. Lachrimis cœpit rigare pedes Chriſti, & capillis capitis terſit, & vnguento vnxit, ex tribulationibus lachrimę procedũt, ideo rigant pedes Chriſti, vt veritatē humilitatis addiſcant, capilli ſimbolum ſunt patiētiæ, quia ſignum ſunt obedientiæ, ideo ſeruantur mulieribus: Vnguentum, deuotionem ex varijs conſiderationibus rerum ſpiritualium, & æternarum, & miſericordiæ denotat, quibus pedes Chriſti recreantur, cum in laboribus, & tribulationibus, deuotionem oſtendimus. *Luc.* 15.

*Pſalm.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *D. Aug.* De talibus eſto in quibus ſteterunt pedes eius, id eſt Chriſti illos adora, illos laua eiſdem tribulationibus tuis cum humiliaberis, illos terge patientia tua, eoſdem vnge vnguento deuotionis & gratiarum actionis, opus magnum feciſti, ſit fides tua magna, & charitas maior. *Pſ.* 131. *D. Aug.*

## *C A P. LVI. De LVI. conſolatione.*

TRibulationes honorari debent ſicut participatio crucis,& paſſionis Chriſti Domini.

*Apoc.1.* *Apoc.* 1. Ioannes particeps in tribulatione, & Regno, & patientia in Chriſto Ieſu, tantum honorem tribuit. D. Ioannes Apoſtolus tribulationi;vt reuerentiam exhiberet in ea cruci Chriſti. Cuius participatio erat, relinquens omnes titulos Apoſtoli, Virginis, Martyris,Prophetæ,Euangeliſtæ,Filij Virginis matris, & de ſola participatione tribulationis gloriatur.

*Pſ.121.* *Pſal.* 121. Cuius participatio in idipſum.

*D.Aug.* *D. Aug.* Idipſum eſt Chriſtus, Verbum caro factum idipſum eſt, qui paſſus eſt pro te, qui communicat tibi paſſionem ſuam, Calicem ſuum, idipſum honora in tua tribulatione gratias agendo, & laudando Deum.

## *C A P. LVII. De LVII. conſolatione.*

PEr tribulationes damus Chriſto bibere Calicem cum dulcitudine.

*Ioan.18.* *Ioan.* 18. Calicem quem dedit mihi Pater,

ter, non vis vt bibam? dedit illi Pater non ſolùm calicem paſſionis ſuæ, ſed calicem omnium tribulationum ſuorum electorum, & bibit. *Pſal.* 15. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. *D. Aug.* Quia poſſidebunt cum hæreditate ipſum Deum, eligant ſibi alij partes quibus fruantur terrenas, & temporales. Portio ſanctorum Dominus æternus eſt, & calicis mei, bibant alij. Voluptates, portio calicis mei Dominus eſt, quod dico mei, adiũgo Eccleſiam, quia vbi caput, ibi corpus, & ibi Chriſtus eſt, qui cum dulcedine bibit tribulationes noſtras in calice ſuo. *Pſ.* 15. *D. Aug.*

## *CAP. LVIII. De LVIII. conſolatione.*

TRibulationes diuidit Deus pro vniuſcuiuſq. vtilitate ad ſalutẽ animæ eius. *Iſai.* 39. Ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram, & loquitur de tribulationibus populi ſui, mittit ſortem cuiq. pro vtilitate eius, & manus eius, id eſt potentia eius, dat cum diuiſione, & menſura pro ſalute animæ, ſic ergo accipiat vnuſquiſq. ſortem a Deo, & de manu Dei cum diuiſione, & menſura, & patienter gratias Deo agat. *Iſai.* 39.

*Pſalm.*

Google

Pſal. 21. *Pſalm.* 21. Clamabo per diem non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

D. Aug. *D. Aug.* Dixit de me, de te, de illo, corpus enim ſuum gerebat, id eſt Eccleſiam, intelligat homo, medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non ad damnationem, diuiſit Deus medicamenta per tribulationes, ſub medicamento poſitus vreris, ſecaris, clama, non audit medicus ad voluntatem, audit ad ſalutem.

## *CAP. LIX. De LIX. conſolatione.*

TRibulationes ſunt pecuniæ quę a Deo dantur ad emendam beatitudinem æternam.

Tren. 5. *Tren.* 5 Aquam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra prætio comparauimus. Tribulationes perſecutiones, exilium, captiuitas, pecunia fuit qua bibebāt aquam ſuam, ſed pecuniæ eis erant tribulationes, ad merendam beatitudinem æternam cum patientia.

Pſ. 21. *Pſal.* 21. Tu autem in ſancto habitas laus

D. Aug. Iſrael. *D. Aug.* Cum facis intelligere valorem tribulationum, moneta ſanctuarij eſt, quia cum non exaudis, ad ſalutem eſt, cum exaudis ad vtilitatem fit, qui habitat in tribula-

bulatione vt meliores faciat tribulatos nouit quid agat qui nos fecit, nouit, & reficere & ditare nos in tribulatione.

## *CAP. LX. De LX. conſolatione.*

TRibulationes probant quid eſt in homine de bono, vel de malo.

*Iob.* 23. Probaſti me quaſi aurum, quia puriſſimus, & prætioſus ex tot tribulationibus exiuit, bonus, & rectus, ac timens Deum, & patiens, & ſapiens, ac diues factus. *Iob.* 23.
*D. Aug.* In tribolatione poſitus Chriſtianus probatur, ſi non derelinquit Deum ſuum, nam quando bene eſt homini deſertus eſt ſibi Chriſtianus, ignis intrat, in fornacem, ibi eſt aurum, ibi palea, ibi ignis, in anguſto operatur, cumq. talis ignis non ſit diuerſus diuerſa agit, paleam in cinerem vertit, auro ſordes tollit. D. Aug.

*Pſalm.* 18. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti. *D. Aug.* Ipſum cor meum Viſitatione tribulationis probatum eſt nocte, quia perturbare ſolet tribulatio ignis, quia vrit, vocanda eſt ipſa tribulatio, qua examinatur Iuſtus. Pſ. 18. D. Aug.

CAP.

## *CAP. LXI. De LXI. conſolatione.*

TRibulationes electorum ſuorum, ponit Chriſtus in calice ſupra Altare, vt offerat Patri.

1.*Pet.*3. 1. *Pet.* 3. Vt nos offerret Deo, mortificatos carne, viuificatos autem ſpiritu, ideo Chriſtus mortuus eſt pro nobis, & ſic aſſumit tribulationes electorum, & ponit in calice ſupra altare, vt offerat eos mortificatos carne, & viuificatos ſpiritu, hi ſunt duo effectus tribulationum electorum.

*Pſ.* 65. *Pſalm.* 65. Et locutum eſt os meum, in tribulatione mea, holocauſta medullata of-
D.*Aug.* feram tibi. *D. Aug.* Quid eſt medullata? intus teneam charitatem tuam, non in ſuperficie, in medullis meis diligo te, & cum dicit: holocauſta totum incenſum charitatis offert, Chriſtus vero Dominus tantum æſtimat tribulationes à ſuis oblatas, vt holocauſta medullata recipiat, quæ omnia in calice ponit ſupra altare, vt offerat Patri.

## *CAP. LXII. De LXII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt litteræ ab eo miſſæ, & manu eius ſcriptæ ad electos.

*Eſth.* 8.

*Eſth.* 8. Scribite ſicut vobis placet Regis nomine, ſignantes litteras anulo meo. Hæ litteræ fuerunt ſcriptæ pro ſalute, & vita populi Hebræorum, & ſic ſalui facti fuerunt, & omnes tribulationes, quas Deus mittit ad ſeruos ſuos manu eius ſcriptę ſunt, & peccata eorum mundat, & anulo ſuæ prouidentiæ ſignat pro ſalute ipſorum. *Eſth.* 8.

*Pſalm.* 102. Notas fecit vias ſuas Moyſi, & filijs Iſrael voluntates ſuas. *D. Aug.* Data eſt lex, vt languores manifeſtaret, qui latebāt in ægrotis vt conuincerētur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum inuocarent, hoc faciunt tribulationes, tamquam litteræ miſſæ a Deo tribulatis, vt notas faciant vias Dei multas, vt filijs Iſrael dilectis Dei, voluntates Dei manifeſtentur; quæ ſecundum Paulum eſt ſanctificatio noſtra. *Pſ.* 102. *D. Aug.*

## *CAP. LXIII. De LXIII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt dona perfectiſſima, quæ procedunt de corde Chriſti.

*Rom.* 12. Habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt vobis differenter & vere donationes, quæ ſunt tribulationes procedentes ex corde Chriſti, quia ex gratia, *Rō.* 12.

tia, & amore ſuo: quos enim diligit arguit, & caſtigat, & tribuit eis dona amoris ſui.

*Pſ. 36.* *Pſlm. 36.* Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, cum tribulationes ex corde Chriſti credis procedere, delectatus es in Domino, qui talia dona amoris tui donauit, petitionem cordis, non carnis, quia Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Reuela Domino viam tuam. *D. Aug.* Indica illi quid patiaris, indica quid vellis, ipſe faciet, tranquillitatem in tribulatione ipſe implebit in bonis deſiderium tuum.

*D. Aug.*

## *CAP. LXIV. De LXIV. conſolatione.*

TRibulationes ſunt ornamenta Reginæ coram ſanctiſſima Trinitate, & Angelis eius.

*Iudith. 10* *Iudith.* 10. In Tribulatione illa magna Holofernis cum exercitu ſuo, ornauit ſe omnibus ornamentis Iucunditatis ſuæ, vt Regina, & contulit illi Deus ſplendorem, ſic ornantur electi in tribulationibus, donis, & virtutibus omnibus, quibus gratia Dei confert illis ſplendorem, vt Victoriam de inimicis, & de tribulationibus reportent, & laudent Deum.

*Pſalm.*

*Pſalm.*44. Aſtitit Regina à dextris tuis in vеſtitu deaurato circũdata varietate. *D. Aug.* Veſtitus huius Reginæ prætioſus eſt, & varius, prætioſus in doctrina, varius in linguis, ſed prætioſus in tribulatione cum patientia, & varius in diuerſis tribulationibus, prætioſus in merito, varius in exemplis, & ædificatione multorum. *Pſ.44.* *D.Aug.*

## *CAP. LXV. De LXV. conſolatione.*

TRibulationes faciunt vt omnia cooperentur in bonum electis.

Ad *Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *D. Tho.* Quantum ad mala pœnalia quæ patiuntur, vnde Gloſa dicit, quod ipſorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia, contradictione ſapientia, odio beneuolentia & in hoc oſtendit Deus ſuam omnipotentiam, quia de malis elicit bona ſecundum *D. Aug.* *Rom. 8.* *D.Tho.* *D.Aug.*

*Pſalm.* 85. Fac mecum ſignum in bonum vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me: ſic ſunt omnes tribulationes Iuſtorum, ſignum in bonum, quia cooperantur in bonum, odium inimicorum conuertitur in con- *Pſ.85.*

*Sap.* 5. confuſionem eorum, vt dicit Sapiens 5. Hi ſunt quos habuimus in deriſum. Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, conuertitur in bonum, Quia Deus adiuuat in certamine, & conſolatione, in triſtitia.

## *CAP. LXVI. De LXVI. conſolatione.*

TRibulationes ſunt margaritæ prætioſæ pro cuſtodia ſenſuum.

*Apoc.* 18 *Apoc.* 18. Merces lapidis prætioſi, & margaritæ nemo emet amplius, quia in fine mundi fugiunt omnes tribulationes, & quãuis ſunt lapides prætioſi, & margatitæ pro ornamento ſenſuum, & pro illorum cuſtodia, ne vileſcant in vitijs, & ſplendeant in virtutibus, nemo erit, ideſt pauci qui eas emant, & voluntariè ſufferant.

*Pſ.* 114. *Pſalm.* 114. Miſericors Dominus, & Iuſtus, miſericors cum vocat, iuſtus cum flagellat; Iterum, miſericors cum recipit, & tribulationes in margaritas conuertit, nõ enim pęnalis, ſed ſalutaris dolor eſt quem ſecando medicus facit, ſic cuſtodit paruulos Dominus, quos grandes quærit hæredes, ſic cuſtodit ſenſus paruulorum ſuorum, id eſt humilium, ne perdant animam ſuam.

CAP.

## *CAP. LXVII. De LXVII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt flores aurei, odorem ſuauitatis ſpirantes ad Deum. *Cant.* 7. Flores fructus parturierunt; ſic ſunt flores tribulationum, id eſt aurei ob ſapientiam Dei, à qua habent odorem ſuauitatis,& parturiunt fructus, & ideo parturiūt, quia cum dolore, & cum igne afflictionis odorem ſpirant. *Cant.* 7.

*Pſalm.* 102. Sicut flos agri, ſic efflorebit, tranſit tribulatio, ſed floret mittendo odorem ſuauitatis; ſic floruit Iacob cui benedixit Iſaac, odor filij mei ſicut odor agri pleni, omnes labores Iacob, flores vocauit, agri pleni odorem ſuauitatis ſpirantes,odorem in perſecutione Eſau,in fraudibus Laban,in peregrinatione ſua, laudes Dei cecinit, benedictiones emiſit, patientiam ſuſtinuit,hi ſunt odores agri pleni, cui benedixit Deus. *Pſ.* 102.

## *CAP. LXVIII. De LXVIII. conſolat.*

TRibulationes oſtendunt fidei fortitudinem, & ab ea roborantur tribulati. *Hebr.* 11. Fide fortes facti ſunt in bello.

Primo quia fides oſtendit præmium æternum. Secnndo quia eleuat cor ad amorem illius. Tertio quia fortificat omnes potentias, & ſenſus in obedientiam ad cæleſtia, & fortificat omnes potentias exercitio patientiæ.

*Pſ. 32.* *Pſalm.* 32. Et omnia opera eius in fide. *D. Aug.* Ne quiſquam ſe meritis operum perueniſſe ad fidem, putet cum in ipſa fide ſint omnia opera quæ diligit Deus, tua ſunt opera in fide, cum per dilectionem operatur, *1. Cor. 10.* tua opera in fide, quia fidelis eſt. 1. *Cor.* 10. Fidelis in promiſſis, fidelis in adimplendo promiſſa, habemus enim Deum fideliſſimum debitorem, quia tenemus fideliſſimum promiſſorem; hæc ſunt quæ in tribulationibus oſtendunt fidei fortitudinem, & his roborantur tribulati, quia in fide ponunt tribulationes ſuas.

## *CAP. LXIX. De LXIX. conſolatione.*

TRibulationes ſunt exercitium patientiæ, & corona Victoriæ.

*Eccl. 2.* *Eccl.* 2. Humilitate patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humilia-

liationis, humiliabuntur a Deo in tribulationibus, & ideo ſunt exercitium patientiæ vt coronentur corona victoriæ, quia opus perfectum facit. Ignis ſunt tribulationes; Igne me examinaſti, vt probetur, & exerceatur in patientia tribulatus, ſicut aurum, in perfectis, vt argentum in imperfectis. Vocat homines acceptabiles, patientes in tribulationibus, caminum autem humiliationis vocat exercitium in tribulationibus.

*Pſal. 9.* Patientia pauperum non peribit in finem, nec in finem obliuio erit pauperis. *Pſ. 9.*
*D. Aug.* Videntur nunc quaſi in obliuione eſſe cum tribulantur, ſed non in finem, quia in fine, in memoria æterna erit Iuſtus, & nunc patientia opus eſt ad perferendos malos, qui iam voluntate ſeparati ſunt, donec in illo iuditio ſeparentur, ſed patientia non peribit in finem, imo victorioſè manebit in æternum, & coronata corona Iuſtitiæ. *D. Aug.*

## *CAP. LXX. De LXX. conſolatione.*

TRibulationes ſanctificant homines per Chriſti patientiam in tribulatis.

*Ezech. 20.* Ego Dominus ſanctificabo eos; non fuerunt ſanctificati cum mandatis, & *Ezech. 20.*

præceptis, & Iuditijs, vt ante promiſit Ezech. Ideóq. promittit per præſentiam Dei eſſe ſanctificandos populos ex gentibus, in tribulatione tamen, & imitatione paſſionis ſuæ.

Pſ 90. *Pſalm.* 90. Cum ipſo ſum in tribulatione, & glorificabo eum. *D. Aug.* Noli timere quando tribularis, ne quaſi non ſit Deus tecum, fides ſit tecum, & tecum eſt Deus in tribulatione, fluctus ſunt maris, turbaris in nauigib quia dormit Chriſtus, per fidem habitat in terris, ſi fides tua dormit, dormit Chriſtus, erige fidem tuam, & noueris quia te non deſerit, imò non ſolum ſanctificat te; ſed glorificauit te in tribulatione, ſicut ſanctificauit tres pueros, & glorificauit in medio ignis.

D.Aug.

## *CAP. LXXI. De LXXI. conſolatione.*

TRibulationes auferunt impedimenta ſalutis maxime ſenſualia.

Prou.26 *Prouerb.*26. Cum defecerint ligna extinguetur ignis, ſic ſunt omnia impedimenta ſenſualia ligna concupiſcentiæ, delitiæ voluptates oculorum, & ſuperbiæ curioſitates, hæc omnia deficiunt in tribulationibus, mortifi-

tificatur concupiſcentia, delitiæ & voluptates in dolores conuertuntur, & omnis aduerſitas in humilitatem conuertitur, ſicque ceſſant ligna, & impedimenta ſalutis; ſic expertus fuit D. Paulus; ſic omnes qui tribulationes de manu Dei ſuſtinent cum patientia.

*Pſalm.* 57. Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens. *D. Aug.* Aquæ decurrentes hyemales ſunt, tranſit, decurrit aqua: ſic ſunt tribulationes, & ſecum trahunt ligna, lapides, arbores, & alia; ſic tribulationes ſecum trahunt omnia impedimenta ſalutis, & tranſeunt, & decurrunt, & ceſſant, bibe cum Chriſto de hoc torrente, & ſaluus eris. *Pſ.* 57. *D. Aug.*

## *CAP. LXXII. De LXXII. conſolatione.*

Tribulationes ædificant domum in corde, & habitaculum clauſum delitiarum Chriſti.

*Cant.* 3. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, id eſt tenet tribulatus Chriſtum, quia in tribulatione eſt cum illo, nec dimittit cum patienter ſuffert, & introducit illum in domum matris quæ *Cant.* 3.

eſt Eccleſia Catholica, & in ſecreto cubiculo cordis ſui, vbi delitiæ ſunt Chriſti.

*Pſ. 47.* *D. Aug.* *Pſalm.* 47. In domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. D. *Aug.* tunc in ea cognoſcitur Chriſtus cum ſuſcipit eam, quomodo ſuſcipit Medicus ægrotum curãdum; febrem odit medicus, amat ægrotum, vt faciat ſanum; cognoſcitur ergo Deus in domibus tribulationum quæ fabricant cuiq. domum ſuam, ſuſcipitur dominus in ſecreto cordis, fabricato per tribulationes, cum ſuſcipit tribulatos de manu Dei, & ibi habet Chriſtus delitias ſuas cum Filijs Dei.

## *CAP. LXXIII. De LXXIII. conſolat.*

TRibulationes ſunt ſicut Arca Teſtamenti cum Manna cæleſti.

*Apoc. 2.* *Apoc.* 2. Vincenti dabo manna abſconditum; manna eſt dulcedo Verbi Dei, & memoria Dei in tribulatione; memor fui Dei, & delectatus ſum, id eſt abſconditur in tribulatione, velut in arca clauſa aforis a Deo, quia neſcimus cauſas Iuditij diuini; felix qui ſic credit, ſic ſuſtinet tribulationes, vt mereatur cæleſte manna guſtare.

*Pſ. 77.* *Pſalm.* 77. Pluit illis manna ad manducan-

candum, Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter paſcit; pluit manna, ſeruatum fuit in arca Teſtamenti, vt ſerues tu in corde tuo in tribulationibus; vt memor ſis Verbi Dei, in quo tibi ſpem dedit ſalutis, bene cuſtodi hoc manna, & cibum animæ, & ſalutem habebis æternam; inſuper, & ſuauem guſtum patiendi pro Chriſto, qui tanta pro te paſſus eſt, & pro tuo amore.

## *CAP. LXXIV. De LXXIV. conſolat.*

TRibulationes ſunt tabulæ legis in conſilijs, & præceptis ſalutis.

*Eccl.* 29. Pone theſaurum in præceptis Altiſſimi; Hoc autem in tribulatione fit cum ſcripta ſint in tribulationibus præcepta, & conſilia Dei, præcepta vt obediamus, conſilia vt ſequamur, hic eſt theſaurus electorum quia in his habent omnia prætioſa, & neceſſaria ſalutis. *Eccl.* 2.

*Pſalm.* 12. Quam diu ponam conſilia in anima mea. D. *Aug.* conſilio non opus eſt, niſi in aduerſis, ideo dicit; quamdiu ero in aduerſis, vel aliter: tamdiu Domine obliuiſceris me in finem, & tamdiu auertis faciem tuam à me; quamdiu ponam conſilia in anima mea: Aſpice ergo in tribulationibus tri- *Pſ.* 12. *D. Aug.*

bulatos teſtamenti cum cōſilijs Dei,& præceptis ſalutis.

*CAP.LXXV. De LXXV.conſolatione.*

TRibulationes ſunt ſicut virga Aaron,in correctione, & directione.

Prou.29. *Prouerb.*29. Virga atque correptio tribuit ſapientiam,talis eſt virga Tribulationis, qua corripit Deus peccatores, & tribuit eis ſapientiam,talis eſt pæna correctionis Paſtoris; qua fugit inimicus, vt ſanctus Benedictus fecit, virga percutiens Monachum, & Diabolum expellens ab eo.

Pſ.44. *Pſal.*44. Virga directionis,virga Regni tui.

D.Aug. *D.Aug.* Virga directionis,eſt quæ dirigit homines qui diſtorti ſunt à voluntate Dei, voluntatem ſuam amando, curui ſunt in prouidentia ſua, murmurando de Dei Prouidētia: Dei voluntas æqualis eſt,tua curua eſt,tribulationibus æquantur,tribulatione corripiuntur,hac virga regit,& corripit; non ſolum ergo virga eſt Aaron, ſed Dei, ſed Chriſti, ſed virga omnis directionis ſaluationis tuæ eſt.

*CAP. LXXVI. De LXXVI. conſolat.*

TRibulationes ſunt ſatisfactio pro peccatis maximè omiſſionis.

*Actor.*

*Actor.* 24. Bono animo pro me ſatisfaciam, dixit Paulus in tribulatione magna exiſtens; ſic nos debemus dicere, & facere cum tribulamur, bono animo ſatisfacimus, quia pro quo patimur, & ad cuius imitationem patimur ſunt Chriſti Domini, dat animum bonum, dat ſapientiam, dat ſatisfactionem, pro peccatis noſtris, & maximè pro peccatis omiſſionis occultis. *Actor.* 24

*Pſalm.* 70. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas, multiplicâſti Iuſtitiam tuam, & conſolatus es me. *D. Aug.* Diſciplina eſt, & admonitio non deſertio, ad ipſam Iuſtitiam pertinet flagellum, quia etiam filio ſuo nō pepercit, multiplicaſti Iuſtitiam, quia ſatisfactio fit de Iuſtitia per tribulationes, de peccatis maximè omiſſionis, & conſolatus es me: magna conſolatio eſt ſatisfactio pro peccatis occultis, & omiſſis. *Pſ.* 70. D. *Aug.*

## *CAP. LXXVII. De LXXVII. conſolat.*

PEr tribulationes exhibet Chriſtus in ſui præſentia cordialem conſolationem.

2. *Corin.* 1. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. *D. Tho.* in Chriſto ince- 2. *Cor.* 1

perunt

perunt paſſiones pro peccatis noſtris, quia ipſe potentia noſtra pertulit in corpore ſuo
1.Pet.2. ſuper lignum. 1. *Pet.* 2. Deinde per Apoſtolos, deinde per Martyres; at peccatores iram Dei portabunt. Secundo dicuntur paſſiones Chriſti quas ſuſtinemus propter Chriſtum, quæ abundant, ſed abundat omnis conſolatio Chriſti in cordibus noſtris, in quibus habitat per fidem viuam.

Pſ. 93. *Pſalm.* 93. Domine ſecundum multitudinem dolorem meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerũt animam meam,
D.Aug. *D. Aug.* Multi dolores, ſed multæ conſolationes amara vulnera, ſed ſuauia medicamẽta, mirum eſt quod probat Deus homines; ipſa pericula noſtra, dulciorem nobis faciunt liberantem, quia dulcis illi vtique factus eſt Dominus, eripiens illum à periculis & hanc dulcedinem explicat ſecundum multitudinem dolorum, nullum dolorem ſine conſolatione reliquit, pro quolibet dolore ſua conſolatio eſt, & dicuntur conſolationes tuæ, quia ab ipſo præſente, quia cum ipſo ſum in tribulatione, & lætificant animã, quia ſpirituales, quia diuinæ conſolationes ſunt; merito ergo deſiderabant Sancti tribulationes, & dolores, vt tales haberẽt cõſolationes.

CAP.

## *CAP. LXXVIII. De LXXVIII. conſol.*

TRibulari eſt maior gratia, quam ſanum, & hilarem eſſe.

2. *Cor.* 1. Siue autem tribulamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute, maior ergo eſt gratia tribulatio Pauli, pro qua exhortantur fideles & ſalutem habent, quam ſalus fidelium ſine tribulatione: exhortantur autem ad ſufferendas tribulationes, quia ex maiori gratia eueniunt, vt mereantur maiora, & coronentur victores. 2. *Cor.* 1

*Pſalm.* 83. Elegi abiectus eſſe in domo Domini magis quam habitare in Tabernaculis peccatorum *D. Aug.* Domus Domini Eccleſia eſt Catholica, bona vox, delectabilis vox, Elegi abiectus eſſe in domo Domini. Quis magis abiectus, quam tribulatus in mundo? & quis felicior, quam tribulatus? Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus, in tribulationibus diligit miſericordiam, quam facit cum illo, nihil melius, nihil prætioſius, & veritatem diligit; quia liberat tribulatum ab omni mendacio, & vanitate, gratiam, & gloriam inſuper dabit Dominus, nihil amplius habet quod det, & totum dat tribulatis. *Pſ.* 83. *D. Aug.*

*CAP.*

## *CAP. LXXIX. De LXXIX. conſolatione.*

PEr Tribulationes tribuit Chriſtus animæ ſponſæ ſuæ in ſæculo delitias, & diuitias ſuas.

*Cant.* 8. *Cant.* 8 Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens innixa ſuper dilectum. Hæc eſt anima quæ tribulatur in hac vita, in deſerto huius mundi, innixa ſuper dilectum Chriſtum delitijs affluens vt ſponſa Chriſti. Talis apparuit ſæpiſſime multis Sanctis in ſuis perſecutionibus, infirmitatibus, & doloribus, fœlix anima, quæ tales meretur diuitias, & delitias.

*Pſal.* 36. *Pſalm.* 36. Et paſceris in diuitijs eius, diuitiæ autem eius ſunt, Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, Deus poſſeſſio, & diuitiæ noſtræ; delectare in Domino, ecce delitias eius, & dabit tibi petitiones cordis tui, cordis mundi, cordis recti, & boni, ſicq. diuitias, & delitias communicat Chriſtus, vt ſponſus animæ ſuæ.

## *CAP. LXXX. De LXXX. conſolat.*

TRibulationes vniunt animam cum ſpiritu Chriſti Domini noſtri.

*Cant.* 2.

*Cant.* 2. Dilectus meus mihi, & ego illi, *Cant.* 2.
vnionem animæ cum Spiritu Chriſti indicat,
quia primo Chriſto vnitur per gratiam, &
deinde anima, per voluntatem, & cõſenſum:
hoc deſiderabat Chriſtus cum dixit; vt ſint
vnum, hoc prædicabat, vnum eſt neceſſarium;
hanc vnionem cum Sacramento Altaris fundauit, & communicandum nobis reliquit,
hanc vnionem, tribulationes mira velocitate faciunt, & clamauerunt cum tribularentur.

*Pſal.* 62. Adhæſit anima mea poſt te. *Pſ.* 62.
*D. Aug.* Conglutinata eſt anima mea poſt *D. Aug.*
te, charitas eſt gluten, medium eſt tribulatio;
ſic vnitur, & conglutinatur anima cum ſpiritu Chriſti, fit ſpiritualis iudicat omnia rectè,
vnita hac vnitate viuit, & dicit: anima mea
illi viuet, non mihi, quia viuo ego iam non
ego, viuit in me Chriſtus, dulcis vita, vnio fideliſſima, & fortiſſima.

## *CAP. LXXXI. De LXXXI. conſolatione.*

TRibulationes ſunt ſuaue Purgatorium, pro omnibus defectibus.

*Eccl.* 47. Dominus purgauit peccata ipſius, *Eccl.* 47.

ſius, de Dauid loquitur, cuius peccata purgauit per perſecutionem Saul, & filij ſui Abſalon, & Semei ſerui ſui, per maledictiones quas contra illum, & lapides etiam eiecit, Purgatorium ergo ſunt tribulationes.

*Pſ. 25.* *Pſalm.*25. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata
*D. Aug.* mea. D. *Aug.* Et his ſacrificijs propitiatus remitte omnia peccata mea, non illa tantum iuuentutis, & ignorantiæ antequam crederem, ſed etiam iſta quæ iam fide viuens per infirmitatem, vel vitæ huius caliginem commiſſi, & ſic Tribulationes ſunt Purgatorium ſuaue pro omnibus defectibus.

## *CAP. LXXXII. De LXXXII. conſolatione.*

TRibulationes in memoriam, & imitationem paſſionis Chriſti Domini, tribuunt veſtes rubicundas in cælo.

*Iſai. 63.* *Iſai. 63.* Quare rubrum eſt indumentum tuum? Vidit Iſai. veſtimentũ Chriſti in paſſione rubrum, & ſanguine conſperſum, conſiderauit nullum in eo peccatum eſſe, ſed omnia peccata noſtra ſuper eum poſita, &

pro

pro eis veſtimentum ſanguine rubicundum portare, admiratur valde, & nos eum in tribulatione imitamur paſſionem Chriſti, & in memoriam hanc veſtem per medium tribulationum meremur veſtem Regiam, & rubicundam in cælo.

*Pſalm.* 21. Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *D. Aug.* Quæ eſt iſta tunica? Charitas eſt, vnitas eſt, hæc non diuiditur, manet integra, ſorte deuenit quibuſdam, qui habet hanc ſecurus eſt, nemo illam mouet de Eccleſia Catholica, datur autem per ſortem tribulatis cum patientia, induuntur hic hac veſte per imitationem, & in cælo per premium vt purpura Regia. *Pſal.* 21. *D. Aug.*

## *CAP. LXXXIII. De LXXXIII. conſolatione.*

TRibulationes dant quietem humilitatis, & ſunt exercitium omniũ virtutum, *Iob.* 22 Qui humiliatus fuerit erit in gloria, per tribulationes humiliatur homo, & in humilitate inuenitur quies non ſolum humana, ſed diuina; ideo erit in gloria: ponit ergo tribulatio hominem in centro ſuæ humilitatis, & ibi quies eſt vera eius. *Iob.* 22.

*Pſalm.*

*Pſ. 34.* *Pſal.* 34. Ego quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar, in tribulationibus lugent, contriſtantur, & ſic humiliantur; ſed cum humiliantur, quietem inueniunt. *D. Aug.*
*D. Aug.* Quare lugetur? quia non eſt ſimilis illi: quare contriſtatur? quia non appropinquat illi; ſimilis eſto ſi vis appropinquare Deo, & in eo humiliter quieſcere.

## *CAP. LXXXIV. De LXXXIV. conſolatione.*

TRibulationes ſunt medicina contra omnia peccata.

*Ecc. 38.* *Eccl.* 38. Da locum medico, & quis eſt verus medicus? non eſt niſi Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui ſanat omnes infirmitates noſtras. Da locum Chriſto Medico, vt per tribulationes vrat, ſecet, & ſanet. ſic
*D. Aug.* *D. Aug.* Domine hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas; dat locum medico, qui patienter ſuſtinet tribulationes, qui non reſiſtit, non vindicatur.

*Pſ. 102.* *Pſalm.* 102. Qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui propitiatur omnibus iniqui-
*D. Aug.* tatibus noſtris. *D. Aug.* Si magni ſunt languores, maior eſt medicus, omnipotenti medico

dico nullus languor inſanabilis occurrit, tamē tu curare te ſine; manus eius ne repellas, nouit quid agat; non tamen delecteris cum fouet, ſed etiam toleres cum ſecat, tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans ſanitatem, tu non toleras ad incertum, qui promiſit ſanitatem nō poteſt falli. Quæ duritia, quam nec experientia docet? non ergo te ſanabit qui talem fecerat, vt numquam egrotares, ſi eius præcepta ſeruare voluiſſes? non te ſanabit, qui fecit Angelos & te refectum æquaturus eſt Angelis? non te ſanabit factum ad imaginem ſuam, qui fecit cælum & terram? ſanabit te, opus eſt, vt ſanari velis, ſanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat inuitum. Quid autem te beatius quam vt teneas in manu tua vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? ſalus tua Chriſtus eſt, media efficaciſſima ſalutis, tribulationes ſūt. calix Domini eſt, calix ſalutis.

## *CAP. LXXXV. De LXXXV. conſolatione.*

TRibulationes emittunt de corde Tribulati vaporē, quo anima purificatur. *Eccl.* 22. Ante ignem camini vapor, lo- *Eccl.* 22

quitur de tribulatione, in qua ignis vrit affligit, dolorem efficit, ſed vapor præcedit, clamores, & orationes, quo anima purificatur.

*Pſ. 119.* Pſ. 119. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me, vapor Clamoris, & Orationis ex tribulatione tam efficax eſt, vt audiatur in cælo, tam fructuoſus, vt animam purificet, & cum his qui oderunt pacem eſt pacificus, cum perſequentibus benefacient, homines ab omni odio, & vindicta liberat medijs tribulationibus.

## *CAP. LXXXVII. De LXXXVI. conſolatione.*

Tribulationes faciunt Animam participem diuinæ conſolationis.

*2. Cor. 1* 2. *Cor.* 1. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in

*D. Tho.* omni tribulatione noſtra. *D. Tho.* Deus ſolus nos conſolatur in omnibus malis, non ſolum penalibus, ſed peccatis, ideo dicitur Deus totius conſolationis, ſi tribularis, peccatis, ipſe miſericordia ſua dimittet ea; ſi tribularis afflictione, cõſolatur te, vel eruendo te ab afflictione per potentiam ſuam, vel iudicando per Iuſtitiam, ſi laboras conſolatur

tur te remunerãdo;Ego merces tua *Gen.* 15. Ideoq; ſolus poteſt,& conſolatur nos in omni tribulatione, quia tribulatio participes nos facit ſuæ conſolationis diuinæ.

*Pſalm.* 76. In die tribulationes meæ Deũ exquiſiui, & non ſum deceptus in tribulatione. *D. Aug.* Vide quid exquiras;ſi es in carcere, exire vis,ſi infirmus ſanari vis, ſi damna, lucrum exquiris, ſed ſi Deum exquiris, & non præter Deum aliud, ſed ex tribulatione Deum, vt ad hoc Deus remoueat tribulationem vt ſæcurius adhæreas Deo,particeps eris conſolationis diuinæ,non eris deceptus, certiſſime Deus conſolabitur te, conſolatione diuina in omni tribulatione. *Pſ.* 76. *D.Aug.*

## *CAP. LXXXVII. De LXXXVII. conſolatione.*

TRibulationes maturant fructus virtutum, & donorum, & guſtum eorum manifeſtant.

*Sap.* 3. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus, tribulationes ſunt boni labores, qui & producunt, & maturant fructus omnium virtutum, & donorum, & guſtum manifeſtant, & cum maturi ſunt hi fructus, vt matu- *Sap.* 3.

ritatem glorię habeant ſimilem ſcilicet, Ideo D. Paulus gloriatur in tribulationibus qui guſtum tribulationis habuit, & manifeſtauit diſcipulis ſuis.

*Pſ. 84.* *Pſalm.* 84. Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum, dat Deus benignitatem cum tribulationem mittit; qua fructus virtutum, & donorum eius maturi *D. Aug.* fiunt, & *D. Aug.* Tu peccata potes habere, fructum bonum non potes habere niſi ille dederit cui confiteris, ideo Iuſtitiam de cælo proſpexit, per tribulationes erudiendo, & flagellando homines, vt fructus maturatos producat terra noſtra, & guſtum benignitatis Dei, in illis manifeſtat Deus.

## *CAP. LXXXVIII. De LXXXVIII. conſolatione.*

TRibulationes auferũt maculas omnes. *Sap. 13.* *Sap.* 13. Omnem maculam, quæ in illa eſt perliniens, vt faciat ei dignam habitationem: loquitur de artifice ſimulacrorum, ad efficiendas ſtatuas Deorum gentilium, & in hoc artem ſuam manifeſtat, quod nulla appareat macula in ligno, vel lapide, vt dignam ei habitationem faciat in nobis per

tri-

tribulationes maculas omnes delet, & mundat, & ſicut cum aliquam maculam habes in manu, lauas manus, & omnes etiam ſordes mundas: ſic Deus cum tribulationibus, & particularem, & omnes alias maculas aufert Deus à nobis.

*Pſalm.* 14. Quis requieſcet in monte ſancto tuo? dicit: qui ingreditur ſine macula. Vt requieſcas, oportet laborare, & tribulari, vt aſcendas in montem, labor eſt, & tribulatio neceſſaria, & vt ſine macula ingrediaris, opus eſt, vt laboribus, & lachrimis, & afflictionibus munderis. *Pſ.* 14.

## *CAP. LXXXIX. De LXXXIX. conſolatione.*

TRibulationes ſunt Perticæ ad aſcendendum per viam arctam.

Arcta eſt via quæ ducit ad vitam. *Matth.* 7. Vt ergo ſecurè aſcendamus per viam arctam, tribuit nobis Deus varias tribulationes, quibus innixi aſcendamus, ſicut in Religioſis domibus ponuntur in ſcalis perticæ ligneæ ad aſcendendum ſecurius. *Matt.* 7.

*Pſalm.* 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrimarum. *D. Aug.* Tor- *Pſ.* 83. *D. Aug.*

culat eſt hæc vita conuallis plorationis, ipſæ lacrimæ piæ tribulatorum, aſcenſus in corde ſunt ad amandum, pertioç ſunt tribulationes ibi recumbe, ibi innixus aſcende, profice, & ſecurus per viam arctam aſcendes, arcta in tribulatione, ſed lata in corde per amorem qui dilatat cor tuum.

## *CAP. XC. De XC. conſolatione.*

TRibulationes ſũt ſagittę amoris Chriſti, quibus amantur cæleſtia, & deſpiciuntur terrena.

*Tren. 3.* *Tren.* 3. Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. hoc dicit Hiere. de tribulationibus a Deo populo ſuo miſſis, quia omnes tribulationes in eos quaſi in ſignum datæ ſunt, nullæ in vanum, omnes in medio cordis infixæ ſagittæ, ſed ex parte Dei ſagittæ amoris fuerunt, vt rediret ad cor, vt conuerteretur ad Deum, vt Deum coleret.

*Pſ. 119.* *D. Aug.* *Pſal.* 119. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs. *D. Aug.* Per ſagittas intellige Verba Dei, quia transfigunt corda, excitatur amor Dei interius, ſagittat Dominus ad amorem, ſagittat vt adiuuet amantem, vt faciat amantem; ſunt & tribulatio-

nes

nes a Deo ordinatæ ſagittæ amoris ſui, quia ad hos mittuntur vt faciant amantem, carbones vero ſunt exempla accenſa in ædificationem, accenduntur tribulationes igne, ædificant Eccleſiam, mouent præſentes ad conuerſionem.

## *CAP. XCI. De XCI. conſolatione.*

Tribulationes ſunt diſpoſitiones ad mortem prætioſam.

*Eccl.* 7. Ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo; ſic ſunt omnes obſtinati, peccatum impiè agunt multum, & nec ſatiantur, nec deſiſtunt, & moriuntur in tempore non ſuo, quia manibus, & verbis accerſunt celerius mortem, Iuſti autem moriuntur in tempore ſuo, quia per tribulationes exiſtimantur vt oues occiſionis, & moriuntur in tempore ſuo, diſpoſiti ad vitam æternam conſequendam. *Eccl.* 7.

*Pſalm.* 29. Domine reduxiſti ab inferis animam meam, ſaluum me feciſti a deſcendentibus in lacum. *D. Aug.* Qui ſunt qui deſcendunt in Lacum? omnes peccatores mergentur in profundum, lacus eſt profunditas ſæculi, ideſt abundantia luxuriæ, & nequitiæ, *Pſ.* 29. *D. Aug.*

& hi Chriſtum perſequuntur, id eſt ſuos fideles, ſed tribulati cum Chriſto liberantur à mala morte reſurgunt cum Chriſto, mortem prætioſiſſimam etſi laborioſam habent cum Chriſto.

## *CAP. XCII. De XCII. conſolatione.*

PEr tribulationes reclinat Chriſtus caput in tribulatis.

Abac. 3. *Abac.* 3. Vt requieſcam in die tribulationis, ideo mittit Deus tribulationes, non habuit in mundo, vbi caput reclinaret, niſi in cruce ſanctiſſima, & ſic in tribulationibus fidelium qui crucem ſuam portãt, reclinatur, & requieſcit.

Pſ. 132. *Pſalm.* 132. Elegit Dominus Sion, & præelegit eam in habitaculum ſibi, hæc requies mea, Elegit Eccleſiam in Sion, & præelegit eam in habitationem, & in requiem ſuam; Tribulationes ſunt, quæ faciunt habitationem Dei, & requieſcit in eis, quia vt ait *D. Aug.* nos facit requieſcere in eis, & nobiſcum caput in eis reclinat.

D. Aug.

## *CAP. XCIII. De XCIII. conſolatione.*

TRibulationes ſunt aquę cordiales de corde Chriſti procedentes.

*Iſai.* 22.

*Iſai.* 22. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, aquæ cordiales lætificant cor, hanc virtutem tribuit Deus tribulationibus in corde Iuſti, cor Chriſti eſt fons, imo fontes ſalutis, pro omnibus neceſſitatibus, pro omnibus infirmitatibus, pro omnibus doloribus, hauriuntur hæ aquæ, cum de profundo cordis gratias agimus Deo pro tribulationibus omnibus, hauriuntur hæ aquæ cum vniuntur noſtræ tribulationes cum paſſione Domini Noſtri Ieſu Chriſti, hauriuntur hæ aquæ cum ædificamus fideles in patientia tribulationum. *Iſai.* 22.

*Pſalm.* 22. Super aquam refectionis educauit me, deduxit me in ſemitis Iuſtitiæ, tribulationes ſunt ſemitæ Iuſtitiæ in anguſtijs itineribus, ait *D. Aug.* In his educantur fideles a Chriſto ſuper aquam refectionis, quia conuertit tribulationes in aquas cordiales & refectionis, & hæc aqua animam meam conuertit ait Dauid tam ſalutaris, tam cordialis eſt vt conuertat animam ad Deum, & ſalutem conſequatur æternam. *Pſ.* 22. *D. Aug.*

*Con-*

*Concluſio huius operis cum inſtructione B. Aug. Quomodo vtendum eſt his conſolationibus, qua ratione meditandæ ſunt, & ſuo modo fruendæ.*

D.Aug. Pſ. 34. D. *Aug.* Super Pſalm. 34. Explicat modum quo vtendum eſt in his conſolationibus, verbis efficaciſſimis in corde cuiuſq. tribulari imprimendis.

Nullum maius, nullum melius negotium eſt in tribulatione, quam recedere ab eo ſtrepitu qui foris eſt, & ire in interiora mentis ſecretiora, ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem, & ſubuenientem, illius cubiculi aduerſus omnem extrinſecus illatam moleſtiam oſtium claudere, humiliare ſeipſum in confeſſione peccati, magnificare, & laudare Deum, & corripientem, & conſulentem, Prorſus hoc omnino tenendum eſt.

*Aue Maria à Chriſto Domino.*

*Aue Maria.* Pro his, qui tribulationes patiuntur, vt breuientur, moderentur, & conſolentur.

*Gratia plena.* Vt det Deus guſtum gratiæ ſuæ electis.

Do-

| | |
|---|---|
| *Dominus tecum.* | Indulgentiam peccatoribus,& conuerſionem. |
| *Benedicta tu in mulieribus.* | Vt principiantibus det Deus profectum |
| *Et benedictus fructus ventris tui* | Vt det electis Perfectionem. |
| *Ieſus.* | Veram cognitionem ſui, & Dei,& ſaluationem. |

*D. Aug. ſuper Pſalm.* 144. Attendite fratres mei,magnum myſterium diſcendum, repetendum, tenendum Animo numquam obliuiſcendum propter abundantiam tentationum in hoc ſæculo. Quid dicam? comparandus Apoſtolus diabolo? Apoſtolus rogat & non accipit; Diabolus petit & accipit, ſed non accipit Apoſtolus propter perfectionem ſuam, accipit diabolus ad damnationem ſuam. Deniq. ipſe Iob accipit ſanitatem in opportunitate; dilatus eſt vt probaretur, & diu ſedit in puluere, & multa dixit & rogabat Deum, vt auferentur ab eo iſta, & Deus non auferebat, citius diabolum exaudiuit ad eum tentandum; quam Iob ad eum ſanandum. D. Aug. Pſ. 144.

Diſcite non murmurare aduerſus Deum, & quando non exaudimini, ne deficiat in vobis quod ſupra dictum eſt; Per ſingulos dies

dies benedicam te ſic Chriſtus,& dixit & fecit,nõ quod ego volo,ſed quod tu vis Pater. Omnes Sancti in tribulationibus conſtituti prius iuſtitiam eius laudauerunt,& ſic beneficia petiuerunt, prius dixerunt: Iuſtum eſt quod facis, ſic rogauit Daniel, ſic alij Sancti iuſta ſunt iudicia ſua, bene paſſi ſumus, recte paſſi ſumus, laudauerunt primo flagellantem,& ſic ſenſerant cibãtem:Iuſtus dominus in omnibus vijs ſuis, nemo putet illum iniuſtum, quando mali aliquid forte patitur, ſed illis iuſtitiam laudet,& ſuam iniuſtitiam accuſet,tunc eris rectus,cum in omnibus bonis quæ facit Deus,tibi placet in omnibus malis quæ pateris,Deus tibi non diſplicet, hoc eſt inuocare Deum in veritate, qui ſic inuocant Deũ, Deus exaudit, prope eſt ibi eſt, nondũ dedit quod vis,ibi eſt tamen,non te exaudit ad præſentem voluntatem, exaudiendo ad futuram ſanitatem, & hoc vtique voluntatem, nam vtiq. ſanus eſſe vult etiam qui vti non vult.

*Tob* 3.Oratio Saræ,In magna tribulatione poſita ſic ait: Benedictum eſt nomen tuum Deus Patrum noſtrorum,qui cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis,his qui inuocant

te:

te: Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo, peto Domine vt de vinculo improperij ſoluas me.

Et Eccleſia Catholica ex his verbis 3. reſponſorium compoſuit in 1. Noct. in Dominica 5. Septembris dicens: Qui iraſceris, & propitius eris, & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis, publicans Indulgentiam plenariam tribulatis.

Et Chriſtus Dominus *Marci* 10. ſic diſpoſuit de tribulationibus: Amen dico vobis: nemo eſt qui reliquerit domum aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filiòs, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat, centiẹs tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam.

F I N I S.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Google

Digitized by Google